DE
PARABOLIS
JESU CHRISTI

SCRIPSIT
Friedrich Wilhelm
F. W. RETTBERG
CELLENSIS
SEMINARII REGII CUM PHILOLOGICI TUM HOMILETICI, ET SOCIETATIS PHILOLOGICAE GOTTINGENSIS SODALIS.

COMMENTATIO AB SUMME VENERABILI THEOLOGORUM ORDINE IN CERTAMINE CIVIUM GEORGIAE AUGUSTAE LITERARIO DIE IV. M. JUN. MDCCCXXVII PRAEMIO REGIO ORNATA.

Προμαθείας δ' ἀπόκεινται ῥοαί.
Πίνδαρος.

GOTTINGAE
APUD VANDENHOECK ET RUPRECHT.
MDCCCXXVII.

Judicium summe Venerabilis Theologorum Ordinis de hac commentatione, quod eidem praefigi jussum est, ita se habet:

„Secundae commentationis auctor, qui latina oratione satis integra probaque, quae sentit, complecti callet, ordinem rectum nec quaestionis finem transeuntem secutus, non ab ipsis quidem artis, quam vocant, aestheticae principiis proficiscitur, sed id potius agit, ut quasi historia duce praecipuas de indole parabolae poetica, (id quod caput erat quaestionis) sententias examinando ad summam eorum, quae investiganda sibi sumsit, perveniat, et cum in hac re, tum in ceteris, de quibus quaestio erat, exponendis, judicium subtile, ingenii acumen, antiquitatis studii notitiam, et familiarem quamdam Virorum, tam veterum, quam recentiorum, qui de re, quae quaeritur, scripserunt, cognitionem expromit."

VIRIS

SUMME VENERABILIBUS

DAVIDI JULIO POTT

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE H. T. PRORECTORI MAGNIFICO

ORDINIS GUELPHORUM EQUITI

THEOLOGIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORI

BRITANNIARUM HANNOVERAEQUE REGI A CONSILIIS ECCLESIASTICIS

MONASTERII MARIAEVALLENSIS IN DUCATU BRUNSVICENSI POSITI ABBATI

THEOLOGIAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO

SEMINARII REGII HOMILETICI DIRECTORI

SUMME VENERABILIS THEOLOGORUM ORDINIS H. T. DECANO

ET

CHRIST. GUIL. MITSCHERLICH

PHILOSOPHIAE DOCTORI

POESEOS ET ELOQUENTIAE IN ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO

BRITANNIARUM HANNOVERAEQUE REGI A CONSILIIS AULAE

SEMINARII REGII PHILOLOGICI DIRECTORI.

PRAECEPTORIBUS PIE COLENDIS

HUNC LIBELLUM SACRUM ESSE VOLUIT

AUCTOR.

§. 1.

In Novi Testamenti libros inquirentes nos subiit subinde mirari, quid sit, quod de Jesu disciplina quum tot tamque doctae exstent disputationes, de forma, qua illa tradita sit, vix unus alterve inveniatur inter Viros DD, qui exposuerit. Enimvero habet et ipsa docendi ratio, quo accuratiori investigatione digna videatur; potest scilicet in universum tamquam concessum sumi, divinae illum doctrinae praeceptorem non solum rebus, quas docuerit, hominum vel maxime prospexisse commodo, verum etiam institutionis elegisse rationem et rei tradendae et auditorum usui aptissimam: unde ad intelligendam intimam ejus disciplinae indolem refert haud dubie exposuisse, quaenam sint illa καινὰ καὶ παλαιά, (Matth. XIII. 52.) quae Jesus vario modo populum docens tamquam paterfamilias ex promptuario depromserit. Atque videmus eum in tradenda suae religionis disciplina quadruplici fere usum demonstrationis forma: aut enim disputando cum auditoribus, aut orationibus lon-

gioribus, aut sententiis gnomicis, aut denique narrationibus parabolicis docet discipulos; quorum quidem generum duo priora adhibuit, ubi tradebat dogmata, de quibus fidem sibi voluit esse apud auditores, unde haec apud Joannem maxime inveniuntur, quippe in probanda doctrina de Jesu Messia acquiescentem; duo posteriora autem praecipue locum habent, ubi tradenda erat doctrina moralis, quam priores evangelistae, haud neglecta quidem et reliquorum dogmatum explanatione, inprimis sequuntur.

§. 2.

Est vero inter haec demonstrationis genera unum, quod prae ceteris largam praebet quaestionum materiem; *parabolica* enim docendi ratio, cui et Christum admodum multa tribuisse videmus, majori impedit difficultate orationis intelligentiam, propterea quod dictio imaginis involucro obducta difficilius intelligitur, quam plana simpliciterque prolata. Quamobrem quum haud exiguam suae disciplinae partem parabolis tradiderit Christus, diligenter earum indolem perspectam habere debemus, ne plus minusve justo iis tribuamus, adeoque sincera religionis indoles in iis condita nos fugiat.

Accedit aliud: quae enim est parabolarum demonstrandi ratio, relinquit vulgarem orationem, artisque quandam spirat indolem; unde, quanto minus Novi Testamenti dictio habet, quo orationis cultum tantopere neglectum compenset, tanto diligentius omnia arripienda videntur, quibus comparationem cum bene elimatae cultiorisque orationis speciminibus haud aegre inire illa possit. Enimvero tanta et fictionis et adumbrationis sublimitate conspicuae sunt Jesu Christi parabolae, ut

perfectissimis, quas classicà antiquitas praebet, omissa quidem orationis integritate, aemulari valeant. Illa enim, qua reliqua Graecorum scripta splendent sermonis elegantia, quomodo potest et a scriptoribus, quorum minus exculta erat vita, et a duarum linguarum prorsus inter se discrepantium mistura postulari?

Quae quum ita sint, nihil optatius nobis cadere poterat, nisi almae nostrae Georgiae Augustae summe Venerabilis Theologorum Ordinis jussus ad accuratiorem parabolarum Jesu Christi tractationem cives suos evocantis, qua studium suum in literis theologicis probare possent. Unde et nos, an in honorifico hoc certamine, quae est virium nostrarum tenuitas, aliqua ex parte Ordinis mandato satisfacere possimus, experiri voluimus. Postulaverat summe Venerabilis Ordo, ut *habita praevia quaestione de dicendi generis parabolici in genere spectati, origine, inquireretur in parabolarum Jesu Christi indolem poeticam ad certas quasdam regulas, habita simul fabularum ratione, revocandam, unde demum elicerentur parabolarum recte interpretandarum praecepta peculiaria; quibus omnibus, epimetri instar, in parabolas hodieque merito et recte ad animum puerilem instituendum transferendas, observationes subjungerentur praecipuae.*

CAPUT I.

DE PARABOLA IN UNIVERSUM SPECTATA.

SECTIO I.

De potestate vocis παραβολή, ejusque a fabula discrimine.

§. 3.

Antequam ad eam rem venimus, quae est propria nostrae quaestionis, videntur nonnulla de potestate vocis παραβολή monenda esse, quo facilius, rei ipsius notione perspecta, in eadem tractanda versari possimus. Atque nos quidem in quaestionem vocantes hujus vocis potestatem, rem sumus aggressi satis difficilem; apparebit scilicet, sibi haud constare ejus potestatem secundum singulos scriptores, ut alia inveniatur vi apud Veterum scriptores classicos, alia ratione de ea disputaverint Recentiores, alium denique sensum Novi Testamenti auctores

eidem subjecerint; quibus iisdem difficultatibus impeditur etiam quaestio de discrimine, quod inter fabulam et parabolam intercedit. Quum enim a primis hujus dictionis cultoribus non sit inter illas formas distinctum: arctioribus atque paene haud solvendis vinculis utraque inter se tenetur; excudebant illi et fabulas et parabolas, parum curantes seriorum saeculorum pertinaciam, qua, ut ex ordine omnia fluerent, distinctiones singulis addebantur. Nihilominus notio quaedam generalior cuique poeseos generi subesse debet, quae ejusdem naturam et indolem constituat, quaeque haud dubie applicari poterit ad eas formas, quibus mera immixtaque sui generis indoles subest: qua vero re non impeditur, quominus de singulis, quarum natura mixta est, difficillimum videatur judicatu 1).

Accedit insuper aliud; movetur quaestio de re, cujus usus apud gentes satis diversae indolis obtinebat, unde et rem ipsam non eandem fuisse apud singulas, per se constat. Quae apud orientis gentes parabolae erat notio, haud dubie non eadem in Graecos quadrabat. Quaecunque enim de nexu inter orientis populos atque Graeciam recentiori maxime tempore sunt disputata: utriusque tamen gentis indolem, adeoque etiam litera-

1) Res eadem in multis poeseos generibus: quis v. c. audeat discrimen, quod intercedit inter canticum (Lied) et odam adeo definire, ut de singulis, quae adferantur, nulla restet dubitatio? idem valet de poeseos generibus, Ballade, Romanze, — Erzählung, Novelle, Roman appellatis. Neque res mira videatur: prodierunt illa genera poetices distinctionem haud secuta: Conf. Conz Morgenländische Apologen. Leipzig 1809. ab initio.

rum formas, ex ipsa utriusque indole profectas, longe inter se discrepare, quis est, qui neget? Quae quum ita sint, distinctione inter parabolae quoque potestatem pro populorum sentiendi ratione diversam, vel maxime opus videtur, ne in eam inferamus, quod plane non inest.

§. 4.

Vox παραβολή a verbo παραβάλλειν est deducenda 2), singulasque ejus significationes sequitur 3). Proprie vero παραβάλλειν est objicere, projicere, τὶ τινὶ vel πρός τι: tum rem juxta alteram ponendi, conferendi, comparandi sensus proficiscitur. Unde παραβολή *primum* simpliciter *ratio rerum juxta se positarum:* v. c. ἐκ παραβολῆς (ναῶν) μάχεσθαι 4): *deinde* collatio, comparatio (Diog. Laert. II. 106.); quo sensu et cum praepositione πρὸς obvenit, (Aelian. Var. hist. III. 33); *denique* similitudo; quam ultimam significationem nos unice retineamus, ex vario scriptorum usu expposituri.

2) Conf. Storr de parabolis Jesu Christi. Tubing. 1779. p. 1. Schleusner in lexico s. h. v. Glassii philol. sacr. ed. Dathe, II. 1304. Krummacher Parabeln p. XX. Vorstius de hebraismis p. 136 sqq. Eustath. ad Il. β. p. 176 ed. Rom. Quinctil. Inst. Oratt. V. 11. 1. ibique interpp.

3) Ita παραβάλλεσθαι in specie etiam est, periculum subire, διακινδυνεύειν, Xen. Cyrop. II. 3. 11. inde παραβολὸς audax: eandem significationem sequitur παραβολή, discrimen, praesentissimum vitae periculum. Polyb. IV. 57, Thucyd. I. 131, 2 Maccab. XIV. 36, Hebr. XI. 19.

4) Diodor. XIV. 60, Polyb. XV. 2.

1. Παραβολὴ secundum classicos scriptores.

§. 5.

Quantumvis haec veterum scriptorum summa sit laus, ut clare omnia atque accurate proponant, vocumque inprimis potestatem diligentius quam recentiores distinguere soleant: satis gravis tamen hac in re ex mira sane vocum confusione nobis difficultas oritur. Vocabula enim, *παράδειγμα*, *παραβολὴ*, similitudo, collatio, exemplum, tam varie singulis scriptoribus adhibentur, ut quae cuique insit vis, haud facile perspicere possis.

Atque primum quidem disputantem de parabola legimus *Aristotelem*, Rhetoric. II. 20; qui ad exempla eam refert, quorum duo statuit genera: *ἓν μὲν γὰρ ἐστι παραδείγματος εἶδος, τὸ λέγειν πράγματα προγεγενημένα, ἓν δὲ τὸ αὐτὸν ποιεῖν· τοιοῦτον ἓν μὲν ἐστι παραβολὴ, ἓν δὲ λόγοι, οἷον Αἰσώπειοι καὶ Λιβυκοί.* Cui loco duo addenda sunt: *primum* duplici sensu per totum hunc locum *παράδειγμα* accipitur; est enim in universum *exemplum* [5]), ideoque et parabolam et fabulam complectitur: et in specie de *exemplis historicis* adhibetur, *τὸ λέγειν πράγματα προγεγενημένα*; id quod etiam res ex historia petita ad exponendam definitionem addita probat [6]).

---

5) Conf. Quinctil. l. l. V. 11. ab init.

6) Hoc loco castigandus videtur Consius, quem plane non perspexisse constat Aristotelis sententiam, l. l. p. XLIV. Distinguit enim Stagirita inter exemplum historicum et rem fictam, cujus posterioris partes sint fabula, parabola. Consius vero alteram distinctionem cum priori ita commiscuit, ut parabolam plane

§. 6.

Deinde vero exemplo historico opponitur et parabola et fabula, quae hoc inter se commune habent, ut res modo fictas proponant, *τὸ αὐτὸν ποιεῖν*. Quod vero inter has denuo formas intercedit discrimen, non aeque apparet: potest vero ex allatis exemplis nonnihil desumi; pergit enim ita Aristoteles: *παραβολὴ δὲ τὰ Σωκρατικὰ, οἷον εἴ τις λέγοι, ὅτι οὐ δεῖ τοὺς κληρωτοὺς ἄρχειν· ὅμοιον γὰρ, ὥςπερ εἴ τις τοὺς ἀθλητὰς κληροίη, μὴ οἳ ἂν δύνανται ἀγωνίζεσθαι, ἀλλ' οἳ ἂν λάχωσιν. κ. τ. λ.* 7). Fabulam vero (*τὸν λόγον*) descripturus notissimam illam Stesichori adfert de equo, qui vindictam sumpturus a cervo, homine in dorsum admisso, consilium quidem assequitur, se ipsum vero in servitutem detrudit.

---

eadem vi adhiberet, qua exemplum historicum. Aliter enim equidem verba ejus intelligere nequeo, parabolam esse eine Anspielung auf eine Geschichte, fabulam vero eine fingirte Begebenheit: ficta saltem ex Aristotelis judicio utraque esse debet.

7) Hoc loco non praetermittendum videtur singulare utique Vorstii de Aristotelis sententia judicium; de Hebr. p. 136. Quum enim improbaret Stesichorus civium de concedenda Phalaridi custodia consilium, absurdum illud esse demonstrat, re alia absurda allata; unde inductus Vorstius est, ut nonnisi ad absurdae cujusdam rei, alia et ipsa absurda ex similitudine comparata, refutationem ex Aristotelis sententia pertinere parabolam autumaret. Sane quidem si rem improbamus, et ex absurda re petenda est similitudo: sin vero persuadere cui vis, ut quid agat, et res, unde petitur similitudo, ipsi probetur necesse est: quamobrem absurdam inducere non licet. Uterque vero et dehortandi et persuadendi parabolae est finis.

Quantum ergo ex hisce parabolae et fabulae exemplis conjicere licet, utraque rem aliquam docet inducto exemplo, de quo nulla conceditur dubitatio; tumque idem, quod jam concessum in altera re est, ad alteram translatum eodem modo probetur oportet. Omne vero, quod inter utramque intercedit discrimen, in eo tantum positum est, quod in parabola nonnisi innuatur similitudo, in fabula vero integra narratione absolvatur. Etenim non id summum esse discrimen, quod in illa ex vita humana, in hac ex brutis petatur similitudo, de eo vid. infra (§. 22.). Atque haec quidem Aristoteles.

§. 7.

Cicero de invent. I. 30. varias quidem formas enumerat, quibus petita ex aliis rebus similitudine rem propositam comprobare possis; indeque etiam parabolam complexus esse videtur. Quum vero variis utatur vocibus, comparabile, imago, similitudo, collatio, exemplum, omnino quo nomine *παραβολὴν* innuat, perspicere non possumus, nisi Quinctiliani auctoritatem secuti, qui (l. l. V. 11.) Tullium testatur *παραβολὴν* collationem appellasse. Referenda ergo collatio simul cum imagine atque exemplo ad id, quod *comparabile* Cicero vocavit, i. e. quod in rebus diversis similem aliquam rationem contineat. Atque est secundum ipsum collatio oratio rem cum re ex similitudine conferens; quae quidem definitio tam vaga est et incerta, ut quid proprii parabolae insit, quoque differat a fabula, inde perspici non possit. Quum vero distinxerit Cicero inter imaginem, collationem, exemplum, haec tria ad idem genus referens, fortasse exinde sensum ejus eruere poterimus. Remanebit enim haud dubie collationis potestas, si quod imagini atque exemplo subest, a

toto *comparabilis* genere, cui has tres formas subjecit, detraxerimus. De exemplo dubium non est; revocatur enim ad rerum gestarum auctoritatem; unde haec jam inesse collationi non potest. Qua vero re imaginem discrepare jubeat a collatione, difficilius jam est intellectu. Imaginem interpretatur, orationem demonstrantem corporum aut naturarum similitudinem. Quibus verbis si eundem subjicimus sensum, quem Aristoteles Rhetor. III. 4. τῇ εἰκόνι tribuit, sequitur, *imaginem* esse metaphoram ab altera natura ad alteram translatam, quemadmodum Achilles leo dicitur, quia uterque fortis. Haec ergo comparandi forma si ab illa comparabilis definitione etiam detracta fuerit, remanet fere ut peculiaris collationis secundum Tullium vis, ut non tam personarum, quam actionis cujusdam cum alia actione demonstretur similitudo. Quae definitio nihilominus satis remanet incerta.

§. 8.

Sequuntur *Quinctiliani* de hac re praecepta, Instit. Oratt. V. 11. Ab initio arctius sequitur Aristotelem, quum παράδειγμα duplici sensu et de omni similium adpositione, et in specie de exemplis historicis adhiberi confirmet; sequitur ergo, ut *similitudo* plane ex Aristotelis sententia res modo fictas contineat. In sequentibus denuo distinguens inter similitudinem et collationem, quae jam est παραβολή intelligenda, discrimen in eo ponit, quod illa citra ullam translationum misturam ducatur ex rebus paene paribus, haec vero res longius repetere soleat; unde non hominum modo inter se opera similia spectentur, sed et a mutis atque etiam inanimis interim hujusmodi dicatur. Exempla allata rem illustrant; prius ex Cicerone pro Muraena

petitum hominum inter se opera similia confert: comparantur enim reipublicae tempestates cum periculis, quae navigantes subeunt; confertur agri cultura cum animi humani cultu. Adhibentur deinde et apium et formicarum similitudines; unde jam constat, comparationem ex re qualibet petitam cadere in parabolae notionem; nam quod longius collatio, propius similitudo petat imaginem, discrimen est haud magni momenti [8].

Exinde vero etiam fabulae a parabola discrimen constituere licet: res unde petitur comparatio, discrimen non fundit; quae enim in fabulis adhiberi dicuntur bruta, et in parabolam quadrare, modo docuit Fabius. Videtur ergo ipsa comparatio maxime esse respicienda, quae in parabola brevius modo innuitur, in fabula vero fusius re certa enarrata exponitur, ut exinde narratio proficiscatur.

§. 9.

Parabolam sensu latissimo de omni similium adpositione adhibet etiam *Seneca* epist. LIX: confert eam in universum cum verborum translationibus atque imaginibus, quae a poetis maxime adhibeantur. Nihilominus scriptores refert, qui simpliciter et demonstrandae rei causa eloquantur, parabolis refertos esse; loquitur ergo de ea uti de re satis vulgari, unde in universum omnem similium adpositionem, neque certam quandam comparationis formam intellexisse censendus est: Idem docet

---

8) Idem fortasse de discrimine statuendum, quod Suidas, s. v. *παράδειγμα* inter exemplum et parabolam inducit: *παράδειγμα γάρ ἐστιν, ὅτ' ἂν ἀντιπαραθῇ τις ὅμοιον ὁμοίῳ, παραβολὴ δὲ, ὅταν ἀνόμοιον ἀνομοίῳ.*

exemplum, quod affert, quoque sapientem cum exercitu comparat, qui ab omni parte hostem suspicatur. Tantum ergo abest, ut res, unde petitur similitudo, sive ratio, qua petatur, parabolam constituat, ut ipsa comparatio ex omni re petita eandem fundat [9]).

2. *Παραβολὴ secundum Novi Testamenti scriptores.*

§. 10.

Defuncti ita expositione eorum, quae ex classicis scriptoribus de usu nostrae vocis peti possunt, jam propius ad propositam rem accedimus, quippe ejusdem notionem apud Novi T. scriptores expositiuri. Atque ita transitum parantibus ex occidentis gentibus ad orientem, prorsus omittenda atque oblivione quasi obruenda sunt, quae hucusque disputavimus. Alia enim apud has, alia apud illas gentes poetices sunt praecepta [10]). Etenim quantumvis vocem *παραβολὴ* apud illos scriptores latissimo sensu de omni similium adpositione accipi vidimus; latiorem etiam vim apud sacros obtinet. Obvenit v. c. haec vox Luc. IV. 23. sensu, quem neque ex *ἐτυμῷ* neque ex profanorum scriptorum usu extricare possumus: *παραβολὴ* dicitur: *ἰατρὲ θεράπευσον σεαυτὸν*, quod nos nil nisi proverbium appellare possumus: conf. Matth. XV. 15. Comparandi potestas, quae illic

9) Conferri potest et Suidae definitio, *ἡ παραβολὴ εἰκὼ 'στι ὁμοιότητα πρός τι γεγονὸς σημαίνουσα*, et Eustathii, Il. *β.* p. 176. *ἔστιν οὖν παραβολὴ νόημα πιστούμενον ἐκ τῶν καθέκαστην γινομένων τὰ λεγόμενα, ἢ λόγος διδάσκων καὶ πιστούμενος τὸ ὑποκείμενον ἐκ τῶν ειοδότων ἀεὶ γίνεσθαι.*

10) Gesenius Comment. in Jesaiam. tom. I. p. 297.

ubique apparebat, hic non unica sufficit, aut non sine summa vi verbis inferenda potest extorqueri [11]). Longius ergo sunt promovendi fines, quibus haec vox circumscribatur; atque recurrendum nobis est ad communem et cogitationum in Novo T. obviarum, et ejusdem quoque dictionis fontem, quippe ad Hebraicae linguae indolem.

§. 11.

Etenim in vocem παραβολή omnes convenire significationes, quae Hebraico מָשָׁל subsint, jam saepius annotatum a Viris D.D. est; unde hujus vocis varium sensum si exposuerimus, nil restabit, nisi ut eundem ad graecam vocem transferamus.

Verbo משׁל duplex sensus subest, prior *dominandi*, (Genes. III. 16, IV. 7, Jes. XL. 10) quem nos nunc omittamus; posterior *comparandi*, *simile reddendi* [12]), unde in quamvis comparationis formam haec vox quadrat; est ergo מָשָׁל:

---

11) Potest quidem non negari, similitudinem intercedere debere inter cujusque proverbii sensum, atque eam vitae conditionem, cui adhibeatur; tam longe vero si comparationem petere licet, unicuique haud dubie rei inferri ea potest.

12) Duo maxime sunt diversam hanc significationem conjungendi conamina. Etenim ut omittamus eorum somnia, qui מְשָׁלִים ex dominandi sensu extricare sunt conati, quippe quae dominantes sint sententiae, principemque locum in oratione obtineant (Conf. Vorstius l. l. p. 143); ut omittamus, inquam, eos qui, uti Lowth de poes. sacr. Hebr. p. 63 ed. Mich. rem enarratam pro indicata adhiberi censent, quemadmodum Gen. XXIV. 2. Abrahami servus, qui dominatus esse dicitur de omnibus opibus, non ipse dominus erat, sed domini modo vice fun-

a) in universum *cantus*, *carmen*, fortasse propterea quod ex orientis more similitudinibus et imaginibus referta esse solent carmina; inde poesis cavillatrix, carmen laetum idemque glorians de hostium interitu. Jes. XIV. 4, Mich. II. 4. הָיָה לְמָשָׁל de iis, quibus hostes ob interitum irrident. Deuteron. XXVIII. 37, 1 Reg. IX. 7. 13)

b) *scite graviterque dictum*, quia ejusmodi dicta breviori sermone prolata ex orientis more rem, de qua agunt, cum alia comparare solent; uti Proverb. XXV. 1. 2. 3. sqq., XXVI. 1. sqq. 14)

---

gebatur: — Gesenius in lexico significationem *ponendi* priorem dicit, arab. مثل conferens, quod est, coram aliquo me colloco, obedientiam praestiturus: inde conjug. VIII. امتثل obedire, morem alicui gerere, et causative obedientiam exposcere ab aliquo, *dominari*. Eodem modo rem ex adverso collocare, i. e. *comparare*. Creuzer Symb. 1. ab init. principalem statuit *primendi*, *exprimendi* notionem (ad quam et ipsum مثل conferri potest, sensu exprimendi, figurandi.); unde primum, *imaginem imprimere*, tum *similitudinem verbis exprimere*, (conf. Glassii philol. sacr. ed. Dathe II. p. 1304 sqq.) denique *voluntatem verbis exprimere*, i. e. *dominari*. Conf. Alb. Schultens Comment. in prov. Cap. I. 1. cui adstipulatur Michaelis ad Lowth l. l. p. 64.

13) Michaelis l. l. p. 79.

14) Ceterum ad exhibendam in ejusmodi dictis similitudinem et membrorum aequalis ratio ubique in orientis carminibus obvia, subinde plurimum facit, ut in altero membro per imaginem exprimatur, quod in altero ipsis verbis indicatur.

c) *proverbium*, *παροιμία*. 1 Sam. XXIV. 14, X. 12, Ezech. XVIII. 2. 3.

d) *narratio parabolica* ad modum graeci *λόγου*, *αἶνου* conformata; quo sensu bis tantum in V. T. obvenit haec vox, Ezech. XVII. 2, ubi jungitur חִידָה aenigmati, et XXIV. 3; respondet ergo plane arabico مَثَل, quo nomine fabulae Locmanianae insigniuntur. [15])

§. 12.

Has ergo significationes si ad vocem *παραβολή* transferimus, praeter generaliorem illam *carminis* in universum spectati, reliquae omnes in Novo T. inveniuntur. Valet ergo vox *παραβολή*:

a) de *scite graviterque dictis*, sermone obscuro et aenigmatico prolatis, Marc. VII. 17; Theophylactus interpretatur *σκοτεινὸν λόγον*. Luc. XIV. 7, Chrysostom. in Psalm. XLIX, Theodor. ad Psalm. LXXVIII. 2, Olympiodor. catena in Jobum c. XIX. p. 417.

b) de *proverbiis*, *adagiis*, Luc. IV. 23, Matth. XV. 15.

c) de *parabolicis narrationibus*. Matth. XIII. 3, XXI. 33. 45, Marc. III. 23, IV. 2. 15. 30, XII. 1, Luc. V. 36. 39, XII. 16, XVIII. 1. 9, XX. 19, aliis locis: quibus omnibus summa similitudo est cum Graecorum *λόγοις* sive fabulis Aesopicis: conf. v. c. Aesopi *Νέος ἄσωτος ρκγ'*. ad Luc. XV. 11; in utroque enim loco ex vita humana petitur similitudo; vid. et

---

15) Arabici Grammatici interpretantur قَوْلٌ مَعْنَاهُ يُخَالِفُ لَفْظَهُ Conf. Marcel Fables de Loqman surnommé le sage etc. in adnot. ad fab. 1.

toto *comparabilis* genere, cui has tres formas subjecit, detraxerimus. De exemplo dubium non est; revocatur enim ad rerum gestarum auctoritatem; unde haec jam inesse collationi non potest. Qua vero re imaginem discrepare jubeat a collatione, difficilius jam est intellectu. Imaginem interpretatur, orationem demonstrantem corporum aut naturarum similitudinem. Quibus verbis si eundem subjicimus sensum, quem Aristoteles Rhetor. III. 4. τῇ εἰκόνι tribuit, sequitur, *imaginem* esse metaphoram ab altera natura ad alteram translatam, quemadmodum Achilles leo dicitur, quia uterque fortis. Haec ergo comparandi forma si ab illa comparabilis definitione etiam detracta fuerit, remanet fere ut peculiaris collationis secundum Tullium vis, ut non tam personarum, quam actionis cujusdam cum alia actione demonstretur similitudo. Quae definitio nihilominus satis remanet incerta.

§. 8.

Sequuntur *Quinctiliani* de hac re praecepta, Instit. Oratt. V. 11. Ab initio arctius sequitur Aristotelem, quum παράδειγμα duplici sensu et de omni similium adpositione, et in specie de exemplis historicis adhiberi confirmet; sequitur ergo, ut *similitudo* plane ex Aristotelis sententia res modo fictas contineat. In sequentibus denuo distinguens inter similitudinem et collationem, quae jam est παραβολή intelligenda, discrimen in eo ponit, quod illa citra ullam translationum misturam ducatur ex rebus paene paribus, haec vero res longius repetere soleat; unde non hominum modo inter se opera similia spectentur, sed et a mutis atque etiam inanimis interim hujusmodi dicatur. Exempla allata rem illustrant; prius ex Cicerone pro Muraena

petitum hominum inter se opera similia confert: comparantur enim reipublicae tempestates cum periculis, quae navigantes subeunt; confertur agri cultura cum animi humani cultu. Adhibentur deinde et apium et formicarum similitudines; unde jam constat, comparationem ex re qualibet petitam cadere in parabolae notionem; nam quod longius collatio, propius similitudo petat imaginem, discrimen est haud magni momenti [8].

Exinde vero etiam fabulae a parabola discrimen constituere licet: res unde petitur comparatio, discrimen non fundit; quae enim in fabulis adhiberi dicuntur bruta, et in parabolam quadrare, modo docuit Fabius. Videtur ergo ipsa comparatio maxime esse respicienda, quae in parabola brevius modo innuitur, in fabula vero fusius re certa enarrata exponitur, ut exinde narratio proficiscatur.

§. 9.

Parabolam sensu latissimo de omni similium adpositione adhibet etiam *Seneca* epist. LIX: confert eam in universum cum verborum translationibus atque imaginibus, quae a poetis maxime adhibeantur. Nihilominus scriptores refert, qui simpliciter et demonstrandae rei causa eloquantur, parabolis refertos esse; loquitur ergo de ea uti de re satis vulgari, unde in universum omnem similium adpositionem, neque certam quandam comparationis formam intellexisse censendus est: Idem docet

---

8) Idem fortasse de discrimine statuendum, quod Suidas, s. v. *παράδειγμα* inter exemplum et parabolam inducit: *παράδειγμα γάρ ἐστιν, ὅτ' ἂν ἀντιπαραθῇ τις ὅμοιον ὁμοίῳ, παραβολὴ δὲ, ὅταν ἀνόμοιον ἀνομοίῳ.*

exemplum, quod affert, quoque sapientem cum exercitu comparat, qui ab omni parte hostem suspicatur. Tantum ergo abest, ut res, unde petitur similitudo, sive ratio, qua petatur, parabolam constituat, ut ipsa comparatio ex omni re petita eandem fundat 9).

2. *Παραβολή secundum Novi Testamenti scriptores.*

§. 10.

Defuncti ita expositione eorum, quae ex classicis scriptoribus de usu nostrae vocis peti possunt, jam propius ad propositam rem accedimus, quippe ejusdem notionem apud Novi T. scriptores expositori. Atque ita transitum parantibus ex occidentis gentibus ad orientem, prorsus omittenda atque oblivione quasi obruenda sunt, quae hucusque disputavimus. Alia enim apud has, alia apud illas gentes poetices sunt praecepta 10). Etenim quantumvis vocem *παραβολή* apud illos scriptores latissimo sensu de omni similium adpositione accipi vidimus; latiorem etiam vim apud sacros obtinet. Obvenit v. c. haec vox Luc. IV. 23. sensu, quem neque ex *ἐτυμῷ* neque ex profanorum scriptorum usu extricare possumus: *παραβολή* dicitur: *ἰατρὲ θεράπευσον σεαυτόν*, quod nos nil nisi proverbium appellare possumus: conf. Matth. XV. 15. Comparandi potestas, quae illic

9) Conferri potest et Suidae definitio, *ἡ παραβολὴ εἴκω 'στι ὁμοιότητα πρός τι γεγονὸς σημαίνουσα*, et Eustathii, Il. β. p. 176. *ἔστιν οὖν παραβολὴ νόημα πιστούμενον ἐκ τῶν καθέκαστην γινομένων τὰ λεγόμενα, ἢ λόγος διδάσκων καὶ πιστούμενος τὸ ὑποκείμενον ἐκ τῶν ειοδότων ἀεὶ γίνεσθαι.*

10) Gesenius Comment. in Jesaiam. tom. I. p. 207.

ubique apparebat, hic non unica sufficit, aut non sine summa vi verbis inferenda potest extorqueri [11]). Longius ergo sunt promovendi fines, quibus haec vox circumscribatur; atque recurrendum nobis est ad communem et cogitationum in Novo T. obviarum, et ejusdem quoque dictionis fontem, quippe ad Hebraicae linguae indolem.

§. 11.

Etenim in vocem παραβολή omnes convenire significationes, quae Hebraico מָשָׁל subsint, jam saepius annotatum a Viris D.D. est; unde hujus vocis varium sensum si exposuerimus, nil restabit, nisi ut eundem ad graecam vocem transferamus.

Verbo משל duplex sensus subest, prior *dominandi*, (Genes. III. 16, IV. 7, Jes. XL. 10) quem nos nunc omittamus; posterior *comparandi*, *simile reddendi* [12]), unde in quamvis comparationis formam haec vox quadrat; est ergo מָשָׁל:

---

11) Potest quidem non negari, similitudinem intercedere debere inter cujusque proverbii sensum, atque eam vitae conditionem, cui adhibeatur: tam longe vero si comparationem petere licet, unicuique haud dubie rei inferri ea potest.

12) Duo maxime sunt diversam hanc significationem conjungendi conamina. Etenim ut omittamus eorum somnia, qui מְשָׁלִים ex dominandi sensu extricare sunt conati, quippe quae dominantes sint sententiae, principemque locum in oratione obtineant (Conf. Vorstius l. l. p. 143); ut omittamus, inquam, eos qui, uti Lowth de poes. sacr. Hebr. p. 63 ed. Mich. rem enarratam pro indicata adhiberi censent, quemadmodum Gen. XXIV. 2. Abrahami servus, qui dominatus esse dicitur de omnibus opibus, non ipse dominus erat, sed domini modo vice fun-

a) in universum *cantus*, *carmen*, fortasse propterea quod ex orientis more similitudinibus et imaginibus referta esse solent carmina; inde poesis cavillatrix, carmen laetum idemque glorians de hostium interitu. Jes. XIV. 4, Mich. II. 4. הָיָה לְמָשָׁל de iis, quibus hostes ob interitum irrident. Deuteron. XXVIII. 37, 1 Reg. IX. 7. [13])

b) *scite graviterque dictum*, quia ejusmodi dicta breviori sermone prolata ex orientis more rem, de qua agunt, cum alia comparare solent; uti Proverb. XXV. 1. 2. 3. sqq., XXVI. 1. sqq. [14])

---

gebatur: — Gesenius in lexico significationem *ponendi* priorem dicit, arab. مثل conferens, quod est, coram aliquo me colloco obedientiam praestiturus: inde conjug. VIII. لَمْتَثَلَ obedire, morem alicui gerere, et causative obedientiam exposcere ab aliquo, *dominari*. Eodem modo rem ex adverso collocare, i. e. *comparare*. Creuzer Symb. 1. ab init. principalem statuit *primendi, exprimendi* notionem (ad quam et ipsum مثل conferri potest, sensu exprimendi, figurandi.); unde primum, *imaginem imprimere*, tum *similitudinem verbis exprimere*, (conf. Glassii philol. sacr. ed. Dathe II. p. 1304 sqq.) denique *voluntatem verbis exprimere*, i. e. *dominari*. Conf. Alb. Schultens Comment. in prov. Cap. I. 1. cui adstipulatur Michaelis ad Lowth l. l. p. 64.

13) Michaelis l. l. p. 79.

14) Ceterum ad exhibendam in ejusmodi dictis similitudinem et membrorum aequalis ratio ubique in orientis carminibus obvia, subinde plurimum facit, ut in altero membro per imaginem exprimatur, quod in altero ipsis verbis indicatur.

c) *proverbium*, *παροιμία*. 1 Sam. XXIV. 14, X. 12, Ezech. XVIII. 2. 3.

d) *narratio parabolica* ad modum graeci *λόγου*, *αἶνου* conformata; quo sensu bis tantum in V. T. obvenit haec vox, Ezech. XVII. 2, ubi jungitur חִידָה aenigmati, et XXIV. 3; respondet ergo plane arabico مَثَل, quo nomine fabulae Locmanianae insigniuntur. [15])

§. 12.

Has ergo significationes si ad vocem *παραβολή* transferimus, praeter generaliorem illam *carminis* in universum spectati, reliquae omnes in Novo T. inveniuntur. Valet ergo vox *παραβολή*:

a) de *scite graviterque dictis*, sermone obscuro et aenigmatico prolatis, Marc. VII. 17; Theophylactus interpretatur *σκοτεινὸν λόγον*. Luc. XIV. 7, Chrysostom. in Psalm. XLIX, Theodor. ad Psalm. LXXVIII. 2, Olympiodor. catena in Jobum c. XIX. p. 417.

b) de *proverbiis*, *adagiis*, Luc. IV. 23, Matth. XV. 15.

c) de *parabolicis narrationibus*. Matth. XIII. 3, XXI. 33. 45, Marc. III. 23, IV. 2. 15. 30, XII. 1, Luc. V. 36. 39, XII. 16, XVIII. 1. 9, XX. 19, aliis locis: quibus omnibus summa similitudo est cum Graecorum *λόγοις* sive fabulis Aesopicis: conf. v. c. Aesopi *Νέος ἄσωτος ρκγ'*. ad Luc. XV. 11; in utroque enim loco ex vita humana petitur similitudo; vid. et

15) Arabici Grammatici interpretantur قَوْلٌ مَعْنَاهُ يُخَالِفُ لَفْظَهُ Conf. Marcel Fables de Loqman surnommé le sage etc. in adnot. ad fab. 1.

parabolicas narrationes Talmudicas Christi parabolis quam simillimas apud Vorstium l. l. p. 141. sqq. 16).

d) *singulari sensu* Hebr. IX. 9, VIII. 5 haec vox obvenit, ubi a Theophylacto *τύπος καὶ σκιαγραφία* redditur. Typus enim cum ea re, quam indicat, similitudinem habere debet. Quibus significationibus si additum fuerit Hebr. XI. 19, ubi de *praesentissimo vitae periculo valet*, (conf. not. 3) omnes hujus vocis in N. T. notiones eruisse nobis videmur. 17).

§. 13.

Jam vero tot quum nobis obveniant significationes, erit haud dubie res summi laboris, de parabolis Jesu Christi verba

---

16) Prorsus eandem vim, quam continet מָשָׁל additam esse voci *παραβολή* testatur evangelista Matth. XIII. 35. Etenim aequali utriusque vocis sensu inductus est, ut adhiberet V. T. locum ad rem probandam, quae plane non inest. Laudat scilicet ad Christi parabolas locum ex Psalm. LXXVIII. 2. אֶפְתְּחָה בְמָשָׁל פִּי quod redditum est a τοῖς ό: *ἀνοίξω ἐν παραβολαῖς τὸ στόμα μου*. Sunt vero illa מְשָׁלִים nil nisi orationes graviores ac figuratae, neque quadrant in Christi parabolicas narrationes. At מָשָׁל et *παραβολή* idem ipsi valet. Non ergo opus est, ut cum Calixto concord. IV. evangel. scriptt. p. 185. refugiamus ad admiranda illa et occulta, חִידוֹת, quae Deus perpetraverit, quibusque similia Christus quoque docuerit.

17) Quum *παραβολή* locum obscurum et aenigmaticum significet, nonnulli aenigmatis sensum sive explicationem tanquam peculiarem vocis notionem induxerunt: Schoettgen in lexic. ed. Bauer, Schleusner s. h. v. Legitur quidem Marc. IV. 10. *ἠρώτησαν αὐτὸν τὴν παραβολήν*; attamen exinde parabolae sen-

facere. Attamen imminuitur nonnihil ac mitigatur terror, quem tanta notionum nubes infligere nobis posset. Etenim quum parabolicae narrationes, ad modum Graecorum λόγων conformatae summam contineant et componendi artem et vim ad auditores movendos: factum est, ut κατ' ἐξοχὴν parabolae appellarentur. Unde de Christi parabolis quaerenti nonnisi hae narrationes tractandae videntur. Omnes ergo dictiones comparandi vim, adeoque et sensum parabolicum continentes, nec tractare voluimus, neque etiam volentibus per harum plagularum angustias licuisset. Nam si omnia scite graviterque Jesu dicta interpretari, sive loca obscuriora excutere vellemus: citius tempus quam materia deesset: unde nobis tunc esset initium, ubi finis? Quae enim Christus praeter graviter dicta protulerit, equidem non invenio; sunt omnes ejus sermones tanta gravitate conspicui, ut מְשָׁלִים possint appellari. Idem quoque summe Venerabilis Ordinis auctoritas indicasse videtur, cum fabulis conjungens parabolas: possunt enim nonnisi parabolicae illae narrationes junctim cum fabulis tractari. Restat ergo, ut quae

3. *Recentiores Critici*

§. 14.

super hanc rem disputarunt, examinantes hujus vocis notionem absolvamus. Atque hac in quaestionis parte arctius etiam conjungenda erit de fabula disputatio cum parabolae expositione: ita enim non solum versati sunt VV. DD. verum etiam fert ipsius rei natura, ut alteri dicendi formae altera lucem infun-

---

sus ab ipsa parabola secerni nequit: quid enim illa verba indicant, nisi, quaerebant ipsum de parabola?

dat. Atque ex omnibus de hac re disputatis jam satisfecisse consilio nobis proposito videmur, si ea tantummodo in medium protulerimus, quae a Lessingio (quanti nominis viro!) et ab iis, qui contra eum stetere, sunt exposita; cujus posterioris Virorum DD. partis coryphaeum Herderum adhibuisse sufficiet. Etenim quae ante Lessingium et Franco-Galli et nostri critici disputarunt, ea omnia partim refutata a Lessingio sunt, partim ad meliorem frugem redacta.

§. 15.

Ad perspiciendum Lessingii de parabola judicium, primum ejus fabulae definitionem adducamus: invenitur illa in disputationibus de fabula Aesopica [18]), vernaculis ejus fabellis additis. Lessing sämmtliche Werke. tom. XVIII. p. 43 sqq.

Wenn wir einen allgemeinen moralischen Satz auf einen besondern Fall zurückführen, diesem besondern Falle die Wirklichkeit ertheilen, und daraus eine Geschichte dichten, in welcher man den allgemeinen Satz anschauend erkennt, so heisst diese Dichtung eine Fabel [19]). Atque primum quidem ad hanc definitionem jam monuit Herderus, (zerstreute Blätter III. p. 143 sqq.) ethicum praeceptum nondum sufficere ad explendam

---

18) Per totam nostram quaestionem nonnisi fabulam Aesopicam respici, vix opus est ut adnotemus: adhiberi enim fabulam de historia etiam carmini et epico et dramatico substrata, uti Graec. μῦθον, per se constat.

19) Cum hac definitione fere consentit Scaliger de re poetica III. 84. ita fabulam exponens: narratio ficta de re quapiam cum adtributione πάθους aut ἤθους, vel cum oratione, vel sine ea, ut ad humana commoda aliquid ex ea designetur.

fabulae notionem. Etenim praecepta, quae experientia docemur, prudentiae monita, non minus quam ethica praecepta fabellis adumbrantur; unde illa vox aut latiori sensu ad haec quoque referenda, aut addendum ex Herderi definitione, l. l. p. 173. „praeceptum experientiae generalius, sive prudentiae doctrina certam quandam vitae humanae conditionem respiciens."

Deinde vero ex hac Lessingii definitione facile parabolae potest notio deduci: posuit enim omne inter utramque discrimen in sola orationis forma; unde summa fabulae, qua differat a parabola, est notio, ut rem tamquam vere factam, parabola vero tamquam quae fieri modo possit, proponat [20]). Recte vero jam contra eum monuit Herderus, et exemplum historicum rem factam enarrare; atque quo minus illam definitionem parabolae adhibeamus, obstat omnis N. T. dicendi usus. Quid enim de omnibus Christi narrationibus parabolicis dicamus? parabolae appellantur; nihilominus rem ut factam proponunt. Etenim non minori videtur narratio (Luc. X. 30) de Samaritano rei gestae auctoritate niti, quam Aesopicarum fabularum pars plurima: nihilominus illa parabola appellatur, hae fabulae, *λόγοι, αἶνοι.* Essent ergo omnes illae Christi narrationes ad fabulas rejiciendae [21]), id quod impedit N. T. dictio.

---

20) Pag. 132. der einzelne Fall muss als wirklich vorgestellt werden; begnüge ich mich an der Möglichkeit desselben, so ist es ein Beispiel, eine Parabel.

21) Id quod a Storrio plane in Lessingii sententia acquiescente factum videmus: unde quae Luc. XIII. 19 et Matth. XIII. 31 fabula est, apud Marc. IV. 30 parabolam dixit.

§. 16.

Restat ergo nihil aliud, nisi ut Lessingium N. T. usum non respexisse, in solaque hujus vocis notione apud classicos scriptores obvia acquievisse judicemus. Atque hanc solam si spectas, facilius poteris in Lessingii sententiam abire. Vel sic tamen quae sensit, haud dubie vera sunt, modo non placent verba, quibus discrimen fabulam inter et parabolam expressit. Absit enim, ut qui inique se expressit, eum perverse etiam cogitasse putemus [22]). Doctissima disputatione demonstrat Lessingius, fabulam spectare id, quod fiat, parabolam vero acquiescere in eo, quod fieri possit; unde fabulam certam quandam narrationem continere, de qua dubium non relinquatur, parabolae vero narrandi vim haud concedi, ut similitudinem innuere tantummodo possit, neque ad certum quendam casum reducere. E quibus prius negandum, posterius plane accipiendum videtur.

§. 17.

Etenim ut e posteriori ordiamur, constat ex supra (§. 5-9.) dictis, Graecorum *λόγον* certum quendam casum narratione adumbrare; non minus vero constat ex classicorum definitionibus, (nam in hisce nunc unice cum Lessingio versamur), parabolam tantummodo innuere comparationem, neque eandem ad certum quendam casum revocare. Atque hac in re plane adsentimur

---

22) Qua enim in distinguendis fabulae generibus Aphthonium Wolfius, phil. pract. II. §. 303 sq., Wolfium Lessingius l. l. 169. judicavit aequitate, hanc si nos ipsi concesserimus, eandem etiam nos a Criticorum benignitate juvenili nostro conamini sperare posse videmur.

Lessingio; fieri vero posse, ut sive in fabula sive in parabola quaeratur, utrum res vere fiat, an fieri modo possit, plane negamus. Etenim quis ita quaeret? num *auctor fabulae?* minime vero! qui v. c. similitudine terrae utens animum esse colendum docet, haud dubie non quaerit, utrum vere fiat, ut terra culta fructus creet, neglecta sentes atque dumos, an ita tantummodo fieri possit. Sufficit ipsi adhibuisse probantem similitudinem. — Restat ergo ut *auditores* distinguere putentur inter rem aut vere gestam, aut quae fieri modo possit. Sed neque hi eo possunt respicere: etenim si de veritate fabulae quaererent, haud dubie se non essent passuri tam ineptis rebus moveri; animalia enim ubi loquuntur, evanescit omnis historica fides. Simulat ergo parabola non minus quam fabula veritatis speciem.

§. 18.

Nihilominus fabulae majorem subesse vim, Lessingio lubenter largimur; nam causa aeque in aprico est posita. Similitudo, in qua conspicitur probandi nervus, si nuda tantummodo proponitur, non aeque magnam potest exercere in auditores vim, ac si in certa quadam re demonstratur. Si ergo certus quidam homo fingitur, qui ex duobus agris alterum coluerit, horridum alterum reliquerit, unde ille fructus protulerit, hic nonnisi sentes: haud dubie major exinde proficiscitur probandi vis, ac si in universum res illa modo designata fuisset. Redimus ergo ad eandem rem, supra jam ex classicorum definitionibus probatam, absoluta narratione fabulam, designata vero simillitudine parabolam exoriri. De eo vero, utrum in altera res tamquam vere facta proponatur, in altera fieri tantum possit, nulla esse potest hac in re quaestio [23].

§. 19.

Jam vero si cum hac Lessingiana parabolae expositione comparantur Herderi disputationes: longe alia exinde orietur notio. Revocat enim ille omne ejus a fabula discrimen ad personas, quibus agentibus res demonstretur, parabolae homines, fabulae alias naturae partes tribuens, cui ergo non solum animalia, plantae, lapides, verum et dii daemonesque possint inservire 24). Atque argumenta, quibus hoc divisionis fundamentum probat, non solum rem admodum illustrant, verum etiam beatissimam auctoris ingenii ubertatem satis comprobant. Mino-

---

23) Ceterum idem discrimen Lessingius ex allatis ab Aristotele exemplis extorturus, vim ipsi haud dubie intulit. l. l. p. 140. Parabolam enim nonnisi, quae fieri possint, spectare, exinde probat, quod adlaturus eam Stagirita dixerit: ὥςπερ εἴ τις, κ. τ. λ. fabulam vero tamquam rem veritate nisam protulerit. Sola autem illa verba parabolam nondum fundunt; quid enim? nonne tunc verba antecedentia οἷον ἄν τις λέγοι, et ipsa parabolam indicarent? unde parabolam in parabola haberemus. Ipsa vero etiam vox, qua id, quod proprium parabolae est, inducit, τά Σωκρατικὰ, non tam indicat, rem fieri tantum posse, quam notissimum illum Socratis morem, similitudine quadam rem probandi, ita ut quae in exemplo concesseris, et in ipsa re concedere debeas. Quoties ergo Socrates rem non incertam reliquit, sed in disputationibus ex certa atque gesta re petiit similitudinem, toties refutat Lessingii disputationem.

24) Herder. l. l. p. 165 die Parabel geht dem Beispiel zur Seite; denn sie ist nur ein erdichteter Fall aus dem Menschenleben. conf. Bouterwek, Aesthet. II. 260. Eodem modo fabulae bruta adsignat Ammonius ἀπόλογον ita definiens: λόγος μυθικὸς ἐκφερόμενος ἀπὸ ἀλόγων ζώων ἢ φυτῶν πρὸς ἀνθρώπων παραίνεσιν.

rem scilicet, quam supra jam parabolae adtribuimus probandi vim, Herderus ex ipsis illis personis deducit.

Nam ut a parabola incipiamus, si certa quaedam vitae conditio inducto hominum exemplo adumbratur, quidnam exinde doceri possumus, nisi homines quondam pro suae voluntatis ratione ita egisse, atque exinde boni aut mali quid esse passos? unde nostra si eadem est atque illorum conditio, adhortari quidem nos potest narratio, ut eandem aut sequamur rationem, si bona erat, aut fugiamus, si perversa. Pendent vero omnia uti illic ab ipsorum, de quibus refertur, ita hic a nostra voluntate, neque ulla impellimur ad agendum necessitate. In fabula autem agunt animalia, quibus agendi voluntas, quamvis fingatur, proprie non est concedenda. Agunt ergo ex certa atque ab ipsa rerum natura constituta morum ratione: hujus ergo ubique adparet efficax manus, qua duce animalia ad agendum impelluntur. Quis vero contra naturam audeat agere?

§. 20.

Neque vero licet praecepta pro hominum ludibrio ex hisce almae magistrae exemplis constituere 25). Tunc enim nullum esset vitium, nullaque iniquitas, quae non animalis cujusdam exemplo posset defendi: ex. gr. immundities suis, voluptas passeris, lucii rapina. Sed altiores illae sublimioresque rerum naturae leges constitutusque singularum formarum nexus hisce exemplis adumbratur. Apium ergo exemplo si industriam docemur, non bestiolae nobis sunt magistrae: cujusnam enim tam pusilla animalia in rebus ethicis esse possunt momenti? sed ip-

---

25) Conf. Creuzer Symbolik I. 18.

sius rerum naturae auctoritas est, quae illorum exemplo nos docet, iisque tamquam ὀργάνῳ ad praecipiendum utitur 26). Inde necessaria illa demonstrationis fides, quam effugere non possumus, adeo ut vel inviti concedere debeamus. Evanescit vero illa fides, si a rerum naturae legibus praecepta ad hominis voluntatem, affectibus vehementioribus obnoxiam, revocantur 27).

§. 21.

Procedunt ergo optime omnia, si ex hac Herderi sententia parabolae homines adtribuuntur, fabulae reliquae rerum naturae partes. Num vero etiam ita licet distinguere? exempla, quae adsunt si spectamus, non licet. Inveniuntur enim inter fabulas Aesopicas permultae, quas nil nisi historiam ex vita humana fictam esse apparet, uti fab. XVII. ἀνὴρ πηρός, XIX. ἀστρόλογος, XXI, XXVII, cet. Nihilominus appellantur αἶνοι, λόγοι. Vereor ergo, ne adstipulandum videatur Conzio, qui hanc divisionem inter fabulam et parabolam egere fundamento, pla-

26) Rem eandem jam sensisse Lessingius videtur, qui certam characterum rationem summi esse in fabula faciendam, toties inculcat.

27) At si demonstrandi nulla est parabolae vis, quid ea amplius indigemus? Abrogentur parabolae, inque fabulas mutentur omnes. Attamen quantumvis demonstrationis vi mentem non evincat parabola, propterea nondum omni eget efficacia ad commovendum animum. Ipsius rei indolem in certo quodam exemplo adumbrat, indeque non minorem exercet persuadendi vim, quam certissima ac diligentissima demonstratio. Quantumvis ergo fabulae cedat demonstrandi firmitate, alia tamen re damnum compensat.

neque arbitrariam judicavit [28]). Obstat graecae linguae indoles, obstant exempla.

§. 22.

Neque etiam causa diu latere nos potest, qua inductus Herderus cum aliis pluribus hanc constituerit divisionem. Vidimus enim jam supra, parabolas appellari in N. T. illas narrationes, quae nonnisi intra humanae vitae fines se contineant. Constat ergo, Lessingium graecum dicendi usum unice respexisse, Herderum ex oriente hujus vocis potestatem deduxisse; id quod in universum egregie in horum duumvirorum quadrare ingenium videtur. Etenim ut non negemus, Lessingium verum orientis spiritum fugisse, arctiorem tamen cum classicae antiquitatis gentibus habuisse videtur societatem; Herderus vero adeo penetrasse censendus est orientis latebras, ut plane in ejus sentiendi rationem se insinuaverit, quantumvis et ipsum in Graecorum indole minime hospitem appellaverim. Uterque ergo ex ratione, qua in rem suam inquirebat, rectum vidit, recteque ex suo fonte vocis παραβολή potestatem exposuit. — Quum vero duplex notio hujus vocis appareat, utra nobis erit eligenda? res per se constat; est enim nobis cum Herdero in N. T. usu acquiescendum, unde et nos narrationes ex humana vita ad tradendam aliquam doctrinam fictas intelligamus parabolas. De eo vero desperandum erit, ut hanc significationem classicorum exempla possent comprobare. Etenim quantumvis Aristoteles revera parabolae exemplum ex humana vita petiit (conf. supra §. 6.), id tamen

---

28) Krummacher Parabeln tom 1. praef. p. XX.

non proprium parabolae ex ejus sententia putandum. Vox enim τὰ Σωκρατικὰ, qua ejus vim complectitur, et animalium usum non excludit: v. c. Xenoph. Memorab. II. 3. 4, 7.

§. 23.

Atque hoc loco non praetermittenda est egregia Krummacheri, (quo hujus rei quis aequior est judex?) de parabolis sententia 28). Etenim parabola quum propius ad humanam naturam quam fabula accedat, potest inservire et longe sublimiori fini, quam tradendis vulgaris experientiae praeceptis (conf. §. 66.) ad vitae conformationem adaptatis. Altioris etiam homo incola est mundi, sublimioremque adtingit rerum ordinem, prorsus diversum a communis vitae nexibus. Atque hoc sublimius vinculum, quo cum Deo conjungimur, inprimis ex N. T. notione cadit in parabolae provinciam. Traduntur quidem et vulgaris prudentiae praecepta, ut Luc. XVI. 1. sqq.: maxima vero parabolarum Jesu Christi pars altiorem illum rerum ordinem spectat, ad quem inprimis Christiana religione adducimur 29). Possumus ergo ex ipsa hac notione peculiare parabolarum constituere genus, quod sanctius appellaverim. Parabola v. c. de patre moribundo, qui filios ad colendam vineam thesauri promisso proposito, erat exhortaturus, ex eadem fere re cepit similitudinem, atque Christi illa de operis ad vineam colendam

---

29) Rem eandem intellexisse etiam videtur Pfaffius de recta theologiae parabolicae et allegoricae conformatione p. 2. parabolam ita definiens: historia verosimilis eo fine ficta, ut altius et spiritualius quid eo velo significetur. Conf. Storr l. l. not. 4, Glassii philolol. sacra, ed. Bauer II. 16.

conductis: nihilominus longe aliam haec spirat indolem: non quaeritur de experientiae vulgaris quadam doctrina, sed tractantur res altioris momenti. Cujus sublimioris indolis, qua Christus suas semper ornavit parabolas, haud immemores in universa quaestione versari debemus.

§. 24.

Quum ergo ita nobis de potestate vocis παραβολὴ constet, pauca possunt de parabolarum fabularumque generibus moneri. Atque in universum haud iniqua videtur aliarum gentium contra Germanos insimulatio, quod nimii nos simus in distinguendo; unde si res divisione facta neque illustratur neque ornatur, omitti distributio in genera posse videtur; id quod in nostram utique quadrat rem. Etenim ex quo Lessingius induxit fabularum divisionem in simplices ac compositas, (quantumvis fere eadem jam apud Vorstium l. l. legitur) ejus auctoritatem fere secuti sunt omnes, qui huic rei operam navarunt [30]. Quam quidem distributionem plane neque ex ipsius rei indole esse petitam, neque ad illustrandam eam facere, jam Herderum l. l. p. 139. 148. demonstrasse arbitramur, cujus quoque auctoritate freti reliquas distinctiones inter physicas, rationales, hyperphysicas, mixtas omittere ausi sumus. Nam in parabolis subvertit istam divisionem ipsius rei ratio; quomodo v. c. de hyperphysicis potest quaeri, quum parabolam nonnisi ad humanam vitam restrinxerimus? Sin vero parabolarum distributio in

30) Inprimis Storrius nimis anxie Lessingii vestigia premens eandem distributionem ad Jesu quoque parabolas transtulit. Conf. Schoettgen Lex. N. T. ed. Spohn p. 509.

genera postulatur ab iis, qui rem aliquam ratione tractari posse negant, nisi antea divisam et distributam: divisionis fundamentum fortasse ex re in ipsis parabolis tractata petere possumus, unde illae aut ethicae aut dogmaticae evaderent 31); atque ad has quidem, parabolae Luc. XIV. 16, XVI. 19, XI. 17, Matth. XII. 25, Marc. III. 22, ad illas vero Luc. XVIII. 9, XIX. 12, X. 30 possent referri. Sed neque ad perspiciendam indolem poeticam facit haec divisio, neque omnino ea indigemus.

Ad eandem fere amussin mihi exigendae videntur Storrii disputationes, (§. V - XI), doctissimae illae quidem et acutissime excogitatae, neque tamen rem ipsam spectantes. Etenim utrum parabola quaepiam exemplum modo sit doctrinae illustrandae, an ipsius similitudo, plane rem neque illustrat, neque ejus intelligentiam adjuvat. Videtur enim fictae narrationis subjectum et praedicatum non minus exemplum appellari posse, quam similitudinem habere cum illo subjecto et praedicato, de quo praecipit auctor.

SECTIO II.

De parabolici dicendi generis origine.

§. 25.

Parabolica dictio ex communi omnis symbolici et allegorici generis dicendi fonte emanat, quippe ex studio veritatis sub in-

31) Conz l. l. LX. XII. Kuinoel Comment. in Matth. XIII. 3. p. 393.

volucro iis offerendae, quibus nuda et explicita non expedit. Atque videtur quidem plana infucataque alicujus doctrinae expositio majori esse debere vi in movendo animo, quam implicita imaginibusque obducta; id quod in homine cultioris animi lubenter concedamus, quem nil nisi planam argumentorum explicationem movere confidimus. Quid vero de inferiori plebis parte, quid de populis statuamus, qui animi cultum ne primis quidem labris degustavere? Interior argumentorum nexus, planaque doctrinae cujusdam demonstratio omni vi in eos eget. Illis ergo, quum nonnisi in rebus in sensus cadentibus rigeant, ad sensus omnia revocanda sunt, quae percipi ab iis velis; tantumque abest, ut placeat iis atque expediat diligentior demonstratio, ut nihil ea possit molestius et inutilius inveniri 32). Accedit, quod et in ipsos praeceptores, quibus plebis institutio cordi erat, haud exigua ignorantiae, qua primis temporibus cuncti tenebantur, pars redundare debebat. Habebant illi quidem nonnihil de praeceptis utilibus sive cogitatione sive experientia perspectum: veritati vero subtiliori institutione docendae et ipsi impares erant; unde non minus sua ipsorum, quam auditorum causa cogebantur, ut veritatis lumen splendidum ac candidum nonnisi allegoricae, symbolicae, parabolicae dictionis ope, tamquam re corporea inflexum atque in minus obcaecantes radios divisum, incultorum hominum oculis obverterent 33).

32) Gellert de poesi apologorum. p. 8.

33) Ita Creuzer Symb. I. 6. sqq.; quem vero in eo sequi non licet, quod ille sacerdotibus iisdemque priorum temporum praeceptoribus summam doctrinae perspicuitatem, planeque absolutam veritatis cognitionem concessit. At haud dubie non minus ipsorum, quam populi illo tempore parum exculta erat vita.

Inde fugere subtiliorem demonstrationem, inde ad symbola, parabolas, fabulas confugere, quae adminicula essent auditorum imbecillitati 34).

§. 26.

Quid vero potius a primis hisce doctoribus in rem suam trahi poterat, quam animalium κύκλος, quibuscum perpetuo versabantur incultiores illae gentes 35)? Etenim qui venationi studebant, tantum habebant cum feris usum, ut de harum natura vel optime iis constaret: Quid? quod rem pecuariam qui tractabant, ad suam quasi familiam referrent oves, tauros, boves: qui agro colendo studebant, arctissimo vinculo cum bobus aratoribus erant conjuncti. Unde ergo potius quam ex his animalibus petenda fuissent exempla, unde sumendae similitudines? atque si ab animalibus petebatur rei illustrandae similitudo, quid deerat Aesopicae fabulae notioni? Neque minus aliae rerum naturae formae, at satis vulgares illae, atque ex gentis usu petitae, adducebantur in comparationem. Inde Judic. IX. 8. fabula de arboribus regem quaerentibus, inde Liv. II. 32. Menenii Agrippae fabula de membris ad stomachi interitum conspirantibus, aliaeque id genus. Quodsi vero rem paulo ulterius prosequuti ex hominum adeo vita similitudinem capessebant,

---

34) Conf. Clement. Alexandr. stromat. VI. p. 737. ed. Putter. Jacob Berliner Monatsschrift, April 1785. p. 302. Calixt l. l. p. 185.

35) Herder Aeltste Urkunden des Menschengeschlechts B. 1. S. 206. Zerstr. Blätter l. l. Gebhard über den Ursprung der Aesopischen Fabel, im deutschen Museum. Decemb. 1784. S. 553. sqq.

parabola erat inventa. Utriusque ergo dictionis initium ex humanae naturae insito atque innato res ab animo ad oculos transferendi studio est interpretandum. Ita enim non postulatur a nobis, ut summas ingenii vires intendamus: ex imagine objecta licet rem perspicere. Etenim „hoc amat obscurum, hoc vult „sub luce videri“ [36]).

§. 27.

Ceterum duabus ex causis explicari etiam potest singularis illa efficacia, quam in nos exercet hoc dicendi genus. Etenim *primum* res de alio quodam narratur, nec diserte ad nos spectat [37]). Praeceptor quantumvis proprie in nos dictum velit illud monitum, minus severe de nobis agit: mutato nomine quidem de nobis narratur fabula, attamen blanditur quasi nostrae *φιλαυτίᾳ*, propterea quod non palam nos comprehensos videmus, ceu illi vitio obnoxios; quumque tantum nobis ab illo impertitum videamus, facile induci nos patimur, ut monitum illud nobismet ipsi adhibeamus [38]).

---

36) Chrysostomus homil. in Joan. XXXIV. p. 216. ed. Paris. censet *δυοῖν ἕνεκεν προφάσεων* ita institutos fuisse a Spiritu S. scriptores, ut *μεταφορικῶς* multa dicerent, *μιᾶς μὲν, ὥστε ἐμφατικώτερον γινέσθαι τὸν λόγον, καὶ μᾶλλον ὑπ᾽ ὄψιν ἄγειν τὰ λεγόμενα, δεύτερον δὲ, ὥστε καὶ γλυκαίνεσθαι τὴν διήγησιν, καὶ μονιμώτεραν εἶναι τῶν λεγομένων τὴν μνήμην.*

37) Satis singularem hanc sagacitatem, qua aliorum vitia investigamus propria omittentes, et Christum non fugisse, satis demonstrat Matth. VII. 3. Parabola vero inducimur, ut trabe, quam in alieni oculo vidimus, et nostram aciem hebetari sentiamus.

38) Conz l. l. XIV. Meyer Hermeneutic d. A. T. Lübeck 1800. II. 571.

Deinde vero repraesentatur illud praeceptum forma, qua incultiori homini nihil jucundius; fabella adest, novi aliquid narratur [39]). Etenim quam voluptatem pueros ex fabellis quamvis insulsis ac ridiculis capere videmus, eadem incultiores ex omni narratiuncula afficiuntur. Imaginandi eorum facultati objicitur res, atque ex innato hominibus novorum studio facile inducuntur, ut diligentius in narratam rem adtendentes, una cum narratiuncula praeceptum quoque excipiant. Accedit quod quum praeceptorem tantum ipsis confidere videant, ut ipsos posse invenire narrationis sensum speret, et haec de ingenio suo fiducia haud parum ipsis placeat. Ipsi invenire possunt monitum, inque suos mores conferre; unde tantum abest, ut quemadmodum alias fieri solet, succenseant illi, quem sui vident castigatorem, ut lubentissime in suos mores adhibeant ejus monita. Voluptate [39]) ergo, quam ex ejus narratione capimus, plane compensatur indignatio alias ex admonitione oritura.

Quum vero hisce ex ipsius humani ingenii indole petitis argumentis demonstraverimus necessariam naturaeque convenientem fabulae efficaciam, non eandem fuisse ejus originem contendamus. Nam primi hujus dictionis cultores non iisdem plane cogitationibus ad eligendam eam sunt perducti; sed quum ipsa humana natura ferret, ut res cum re ex similitudine comparata magis elucesceret, facilioremque sibi pararet in hominum animos aditum: non dubitarunt illi prosequi viam, qua facillime sua praecepta tradi hominibus, planeque ipsis persuaderi posse sperabant.

---

39) Gellert l. l. p. 7. fabula ea de causa instituimur, ut delectando prosit. Quinctilian. l. l. V. XI.

§. 28.

Quae vero hucusque de fabula ac parabola disputata sunt, maximopere apud orientis gentes locum habere videntur. Quum enim in universum hoc illis sit gentibus proprium, ut alacriori imaginandi facultate praediti, ad sensus potius omnino ea revocent, quae a nobis ad rationis judicium traducuntur: eadem illa indole ad uberiorem parabolae fabulaeque usum impellebantur 40). Ex oriente symbolorum petenda origo, quum illae gentes et naturae vires et Deorum notiones symbolorum ope repraesentarent. Quisnam orientis gentibus audacior in petendis metaphoris, in adhibendis allegoriis, in capessendis similitudinibus ex unaquaque re? Ejusdem rei apud Judaicam gentem ubique invenies vestigia. Ad populi institutionem prophetae saepissime et actionibus symbolicis 41) et praeceptis parabolicis 42) utebantur; atque ipsa Jesu aetate vel maxime viguisse parabolicum dicendi genus, ex multis apparet exemplis: quaque alia re nisi suae aetatis more inductum fuisse putas Servatorem,

---

40) Conf. Münscher Dogmengeschichte I. p. 18. et in universum doctissime de hac re disputat Michaelis ad Lowth l. l. p. 95 sqq.

41) Conf. Moses Maimonides more nebochim II. 46, Staeudlin Neue Beiträge zur Erläuterung der bibl. Propheten S. 220. Inveniuntur actiones symbolicae passim apud prophetas. Ezech. XVII, Jes. XX. 8, VII. 10, VIII. 1. Jerem. XVIII. 2 sqq. XIX, 1, XXIV. 1, XXVII. 2.

42) Narrationes parabolicae in V. T. inveniuntur Jes. V. 1—7, Judic. IX. 8, 2 Samuel. XII. 1, 2 Reg. XIV. 9, Ezech. XVI, XVII. 2—12, XIX, 1—9, 10—14. XXIV. 3, XXXI, XXXII. 3.

ut hanc egregiam docendi formam adhiberet [43])? Ita et symbolica demonstratione subinde utitur Servator: Quemnam alium in finem infantes in discipulorum coetu collocavit, nisi symbolice eos de submisso animo, qui unice sui cultores deceat, evicturus? Quis sensus verbis, ἐκτινάξατε τὸν κονιορτὸν τῶν ποδῶν ὑμῶν nisi symbolicus subest [44])? atque inprimis, ut de baptismate et coena sacra taceamus, quum discipulorum pedes lavaret Servator, quid praeter symbolum adhibuit [45])?

---

43) Schoettgen Jesus der wahre Messias p. 755. Huc pertinet quoque prorsus ridicula mereque scholasticum spirans animum quaestio, utrum Christus ipse invenerit hoc dicendi genus, an temporis morem modo sit secutus. Wolf bibl. Hebr. tom. II. p. 977 sqq. Glassii philol. sacra II. 1313. Metuunt scilicet rigidiores illi, qui ex hujus adeo docendi generis inventione divinam Christo dignitatem tueri volunt, ne imminuatur ejus gloria, si vulgarem hominum morem esse eum secutum constiterit..

44) Matth. X. 14, Marc. VI. 4, Actor. XVIII. 6, XXI. 11. Symbolicam rem perfecit Pilatus, Matth. XXVIII. 24. quum populo demonstraturus, se carere culpa Christi immerito damnati, manus aqua lavaret. Symbolicae actiones apud profanos scriptores subinde obveniunt. Herod. Clio. p. 282. ed. Glasg. Polyaeni stratagemat. VII. p. 480. ed. Casaub. Plutarch in vita Sertorii, II. p. 1051. ed. Steph.

45) An historia Jonae prophetae, narratio illa a Sadducaeis ad tentandum Christum ficta Matth. XXII. 24. et historia denique Christi a diabolo tentati, parabolis sint adnumerandae, lis est inter Interpp.

CAPUT II.

DE JESU CHRISTI PARABOLARUM INDOLE POETICA.

§. 29.

Absolutis praeviis illis quaestionibus jam ad ipsam rem progredi possumus. Attamen et hoc in loco conveniat inter nos necesse est, in quo poeticam indolem positam velimus. Etenim saepius jam autumarunt recentiores, plane non poesi adnumerandam esse nec fabulam neque parabolam; cui sententiae et veteres assentiri videantur, qui non in poetices sed in rhetorices praeceptis de iis egerint: unde alii omnem ornatum poeticum derogare fabulae, eamque ad orationem pedestrem revocare suo sibi jure posse videbantur 46). Attamen exinde quod in rhetori-

46) Conz. l. l. XVII. Lessingius l. l. 197. eam quoque ob causam versibus succensuisse videtur, quod se ipsum nectendis carmi-

cis de hac dictione verba fecit Aristoteles, nondum poeseos eam esse formam negavit. Exemplis eam adnumerat, quorum usus esse possit ad fidem apud vulgus parandam: possunt vero illa exempla non minus poeticae quam pedestris esse orationis. Enimvero quaevis res, quam in suum usum convertunt rhetores, eam ob causam nondum ipsis propria est judicanda. Adhibet Aristoteles historica etiam exempla; tumque historiae conscribendae praecepta quoque ad artem rhetoricam pertinerent. Quodsi Homeri sive Pindari loca ad parandam fidem adhiberi posse docuisset, num propterea epica et lyrica poesis ad rhetoricen quoque pertineret? Etenim si integram ejus poeticen nobis non denegasset fati iniquitas, de fabula etiam suo loco praecepta haud dubie inveniremus. Conf. quae Herderus l. l. ex analogia tragoediae secundum Aristotelem ad fabulam transtulit.

§. 30.

Est potius et fabula et parabola species poeseos didacticae; quoque jure haec in universum sibi potest verae poeseos laudem tueri, eodem et singulis ejus speciebus licet. Attamen hac demonstratione nondum multum lucri fecisse videmur; etenim omnem poesin didacticam eodem, quo epicam, lyricam, dramaticam, sensu poeseos nomine insigniendam esse, nonnulli non

nibus imparem putabat: attamen hac in re egregium hunc virum se suomet ipsum gladio jugulasse, versus haud vulgaris monetae ab ipso editi satis comprobant. Quantumvis ergo poetico ornatui non tantum tribuamus, quantum Franco-Galli, modestam tamen reique adaptatam adornationem cum Bouterwekio atque Eberhardio (Aesthetic. IV. 319.) concedere possumus.

minus negarunt. Summam omnis artis in effectu positae, ergo et poeseos notionem versari in repraesentandis ideis, quibus poetae animus moveatur; ita artem statuariam, picturae, musicam, ita poesin imprimis lyricam, dramaticam, epicam. Quotiescunque vero alienae rei etiam habeatur ratio, utilitati v. c. simul prospiciatur, evanescere artem, atque architectum v. c. in iis, quae ad vitae utilitatem spectent, non artis formam exhibere, sed operarum accedere numero. Idem cadere in poesin didacticam. Praecepta enim qui edit, haud dubie non in repraesentandis sui animi ideis versatur, sed rem philosophicam agit. Omne ergo, concludunt illi, quo poeseos characterem quodammodo adrogare sibi possit didacticum genus, in forma, exteriorique habitu esse ponendum. Ob solam ergo poeticam formam Virgilii Georgica, Hesiodi ἔργα, Lucretii de rerum natura carmen, quantumvis praecepta tradant, poeseos mereri nomen 47).

§. 31.

Ita vero si statuamus oportebit, desperandum haud dubie de poetica indole Jesu parabolis tuenda videtur; forma enim poetica non est; versus non edidit Servator. Attamen fortasse alia ratione effugere licet illius conclusionis necessitatem. Concedamus ergo, qui nil nisi praecepta edat, hunc nondum poetae nomine esse dignum; neque vero eo, quod praecipit, plane eodem indignus evadit; nam „et docere volunt et delectare poetae.“ Qui ergo praecepta doctoris modo proponit, poetae partes non tuetur. Neque ita videmus didacticos poetas, qui et

47) Conf. Bouterwek Philosophie der Romane, in Reinhard's kleiner Romanenbibliothek. Göttingen 1798. ab init.

ipsi in repraesentandis ideis quodammodo versantur. Nam praecepta non tam edunt, quam certo quodam exemplo adumbrant. Non hic ipsorum summus est finis, ut clare perspiciantur illa praecepta ex ordine proposita, sed exhortantur auditores ad ea exsequenda; cupiunt, ut intersit illorum de hisce praeceptis audire; ipsa veritatis expositio non praevalet, sed ut moveant lectorum animos, summopere spectant. Quod ergo philosophicum in fabula et parabola invenitur elementum, minoris est faciendum, indeque verae poeseos indoles huic generi non potest derogari. Proponit et fabulae auctor suas de re mota ideas: non philosophice in eam inquirit, sed ipsius quasi imaginem exhibet, ex plurium personarum actione compositam, unde adeo dramatici quid in ea invenitur.

§. 32.

Neque etiam in Christi parabolis admodum desideramus, quod numeris orationem non adstrinxerit; solus enim versus nondum efficit poema. Aristoteles (Poetic. 1.) poeseos indolem jam minus in versu, quam in pulchra naturae imitatione posuit, unde adeo oratione pedestri (ψίλοις λόγοις) posse epopoeam exhiberi concessit. Quid? quod vel Σωκρατικοὺς λόγους poematum nomine insignivit; quos quum ipse (Rhetoric. II. 20.) ut parabolae exempla adtulerit, Christi quoque parabolis haud aegre poeseos titulum concessurus fuisset. Levioris sunt ad rem nostram probandam momenti Aesopicae fabulae; pedestris enim ipsarum oratio minus auctori, quam Grammaticis deberi videtur: atque in ejusmodi λόγοις versum jam fuisse adhibitum, Babrii fragmenta possunt comprobare [48].

48) Tyrwhitt dissertatio de Babrio edit. Harles. Erlangae 1785.

Quae quum ita sint, non ex versus numeris, sed ex ipsa parabolarum materie comprobanda erit earum, si qua est, poetica indoles. Quodsi Christus re ficta composuit rei tradendae imaginem et vivam et sinceram, poetici quid inesse concedatur. Anquiramus ergo omnes regulas, quibus ejusmodi fictio circumscribitur; quibus si se adstrinxit auctor, absoluta atque poetica ejus est appellanda fictio. Attamen in hac quaestione *primum* quidem secernendum erit parabolae argumentum sive praeceptum, quod illustratur, ab ejusdem materie sive narratione, qua illustratur. Nos ergo illud theologiae systematicae dijudicandum relinquentes, in hac sola acquiescamus. *Deinde* a forma revocavimus quidem quaestionem, quod poeticam eam non esse haud aegre concesseramus; quum vero unum quodque artis opus ex materie atque forma constet, videndum etiam erit, quomodo ea, qua gaudeant Christi parabolae forma, ad exhibendam universam ideam conferat.

SECTIO I.

De materie Christi parabolarum.

§. 33.

Artis opera edebantur, priusquam de ejus principiis quaerere coeperant philosophi; quid? quod ex quo doctae exstant de eadem disputationes, omniaque ad amussin quasi exacta sunt, rariores atque imbecilliores evadunt artis effictiones. Homerus cecinit sua carmina divino spiritu plenus, neque artis regulis

institutus; quae quum docerentur, alter Homerus non processit. Quae exinde in nostram rem sequuntur, duo sunt. Atque *primum* quidem, si poetae artis opus componere licet, poetices regulas non edocto: de Christo etiam quaeri non potest, unde sciverit parabolae fingendae regulas: etenim de hisce neque ut ad doctiorem quandam institutionem, neque ad divinam ejus dignitatem provocetur opus est: sua re erat plenus, quaeque sentiebat, ingenue protulit: inde admiranda illa simplicitas, quam nulla artis institutio adtigit. *Deinde* quum artis opera antecedant ejusdem disciplinam, regulae quibus illa circumscribitur, non tam ex ejus notione, quam ex operibus, uti adsunt, possunt deduci, unde minus affirmantes quam negantes evadent. Quae enim sit illa humani ingenii facultas, qualemque se habeat, quae exhibendis poeticis notionibus inservit, si accuratius constitui posset, itaque aditus parari in intimam animi officinam: regulae illae quoque omnes possent e summa notione deduci: tum vero plane revocaretur omnis ars ab ingenii felicitate ad solius mentis judicium. Quum ergo non tam dici possit, quid sit agendum, quam quid fugiendum, negandi maxima ex parte vim habebunt, quae de hac re adduci possunt regulae. Unde et nobis de poetica Christi parabolarum indole quaesituris nonnisi ex ipsis parabolis κρίσεως ope regulae, quibus illa continetur, anquirendae erunt.

§. 34.

Prima omnis operis poetici regula et est et esse debet *in toto unitas*. Quo ergo jure et postulatur et demonstratur in Pindari carminibus, in Aeschyli tragoediis, ut per omnia sibi constet totum opus, neque arcessita propriis admixta habeat,

eodem parabolae praecipiendum est, ut una sit, perque singulas partes sibi constet 49). Plane enim omnis indolis poeticae notam subverti ac pessumdari, si ex prorsus diversis neque ad unum conspirantibus ideis componatur opus varium atque versicolor, Venusini vatis jam dudum demonstravit monitum 50). Hac ergo notione primum examinandae sunt Christi parabolae. Ut vero intelligatur singularum partium nexus, nihil prius antiquiusque in examinandis iis agendum erit, nisi ut summam ideam, ad quam omnes partes spectent necesse est, investigemus, ad eamque omnia applicare conemur. Egregiae v. c. de filio perdito parabolae Luc. XV. 11 sqq. quaenam est primaria notio? Ex antecedentibus adparet, aegre tulisse Pharisaeos, quod rem habuerit Christus cum ἁμαρτωλοῖς, atque duabus parabolis jam expositum erat, χαρὰν εἶναι ἐν τῷ οὐρανῷ ἐπὶ ἁμαρτωλῷ μετανοοῦντι. Eadem ergo Deum in homines a pravitate reversos esse facilitate, nostra etiam parabola exponit. Ab initio omnia ad hanc notionem conspirant; exhibet dilucidam filius minor heluonis imaginem. At patrimonio profuso in summam ille miseriam detruditur; exsul, egens, omni re destitutus operis illiberalibus victum quaerit. Miseriei magnitudine superatus jam redit ad sese: poenitet ipsum pravitatis; ad patrem revertitur; confitetur stultitiam, benigne receptus in omnia filii jura restituitur.

§. 35.

Jam vero nonne hic parabolae finis fuisset imponendus? demonstratum scilicet est, benigne excipi a Deo ad ipsum rever-

49) Lowth de sacra poesi Hebr. praelect. X. Storr l. l. §. XVII.
50) Horatii ars poet. ab init.

tentes; id quod demonstrare voluit Jesus. Sequuntur filii majoris de patris liberalitate querelae, quibus patri facultatem praebet se defendendi a benignitatis injuste collocatae crimine. Idem vero spectabat Christus hac parabola inducta: voluit scilicet Pharisaeorum criminationes a se avertere, filii majoris calumniis similes. Quum ergo hos melius edocere et de Dei in homines emendatos facilitate instituere summus ejus esset finis, quid aptius erat, quam easdem illas calumnias et in ipsa parabola tractare summoque ejus fini subjicere?

Idem de aliis etiam parabolis demonstrari posset, si nobis liceret adeo in singulas descendere, ut ex ordine omnes tractarentur [51]). Potest vero et in universum ut concessum sumi, qui aeque ac Christus in omnibus et dictis et factis summi sibi propositi finis fuerit memor, ut ad idem singula revocaret, referret omnia: hunc et in ejusmodi narrationibus a primaria notione haud multum utique aberraturum esse.

§. 36.

Quando autem summa illa notio ita per partes adumbratur, singula quoque ad eam exhibendam conspirare debent: id quod inprimis de agentibus personis valet: respondeant ergo omnino iis, de quibus praecipere vult parabola [52]). Atque haud dubie hac in re absolutissima Christi est narrandi ratio. Quoties v. c. adumbrat hominum cum Deo conjunctionem, ex suae plane religionis indole imaginem componit. Parabola modo laudata

---

51) Idem demonstrat Storrius de Luc. VIII. 3. Matth. XIII. 24. aliisque.

52) Calixt. l. l. IV. p. 184.

quum Deum patrem fingat, filios homines, egregiam simul proponit nostram cum Deo conjunctionem, quam religionis Christianae praeceptis debemus. Atque cum magna voluptate versatus fuisse videtur Christus in similitudine ex hac re capta; quoties patremfamilias Deum inducit! Matth. XX. 1, XXI. 33, Marc. XII. 1. 10, XIII. 3. 4, Luc. XX. 17, XIX. 12, XII. 36, XIII. 25, aliis locis. Attamen et in hac re, quemadmodum ubique, omne nimium nocet: etenim si nos postularemus, ut singula imaginis lineamenta totidem doctrinae praecipiendae particulis respondeant, aeque ageremus injuste, ac si omnia, quae ex illo praecepto deduci possunt, in ipsa narratione inveniri juberemus. Fieri quidem et potest et saepius fit, ut singulae in similitudine adhibitae notiones respondeant totidem rei significatae particulis. In egregia v. c. de satore parabola Matth. XIII. 3. singula seminis genera totidem religionis Christianae asseclis respondent 53). Exinde vero quod tanta rei significatae cum narrata similitudo in aliis deprehenditur parabolis, eadem neque ad alias neque ad omnes est referenda. Exhibet potius uti omne opus ratione compositum, ita et Christi parabolarum quaevis, summam quandam notionem, cui exhibendae cuncta inserviunt. Singulae vero illae particulae, quibus componitur atque conflatur primaria illa parabolae notio, majorem concedunt auctori fingendi facultatem. Quodsi ergo alias ob causas, ornamentum v. c. narrationi paraturus, sive historiam ficta rerum gestarum auctoritate stabiliturus, addit nonnulla a summa quidem notione haud aliena, quae vero non habent,

53) Storr. l. l. §. XIV. de aliis parabolis idem docet, Matth. XXII. 3. 4. Luc. XIV. 16.

quibus in re significata diserte respondeant: summo suo jure rem ita instituisse censendus est auctor. Contra vero etiamsi res significata alias multas praeberet notiones, prorsusque alia ratione tractari potuisset: id quando omisit parabolae poeta, haud gravi tenetur culpa. Unam modo exprimere et voluit et potuit summam notionem; quam quidem si pro suo arbitrio electam, aliis quantumvis rationibus omissis, satis clare demonstraverit, laudandus esse videtur. Exinde quae sequuntur interpretationis regulae, vid. infra.

§. 37.

Praeterea vero quod secum ipsa et cum re significata consentire debet narratio, ante omnia illud, quod imagine indicamus, ex ipsa imagine perspiciatur ab auditoribus; *sit ergo illa facilis atque petita ex re omnibus nota* [54]). Nam si ne imago quidem perspicitur ab iis, quibus traditur, quomodo potest exinde ipsa doctrina intelligi? Etenim hac ipsa re nititur fabulae et parabolae perspicuitas, quod narratione ex rebus in vulgus notis petita adumbratur doctrina minus nota. Inde enim induxisse fabularum auctores animalium κύκλον, quod de vulpeculae, ursi, leonis, asini, aquilae, columbae natura et indole unicuique satis constabat, supra jam demonstravimus.

Atque ejusdem rei diligentem videmus Christum observatorem. Quum enim plerumque sub divo doceret populum, quid aptius erat, quam ex rebus ubique in agro apparentibus petere similitudinem? Inde τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ, τὰ κρίνα τοῦ ἀγροῦ

54) Lowth. l. l. Wolf. l. l. p. 278.

inducit [55]), inde a spinis et tribulis, a ficubus et uvis petit imaginem. Prorsus in vitam vulgarem se insinuat, atque res vulgo vel maxime notas in similitudinem adhibet [56]). Quaenam inducuntur personae agentes, praeter populo satis notas? Operarii in vineae culturam conducti fortasse et ipsi auditores saepius fuerant; semina haud dubie ipsi subinde sparserant; piscatores erant ex ipsis discipulis plures. Atque reliquarum etiam imaginum personae, creditor debitoribus caput condonans, oeconomus, Pharisaeus et portitor, nonne plane ex vita communi erant petiti?

§. 38.

At non sufficit, ex satis nota re petivisse similitudinem; *ipsius etiam narrationis fluxus ubique concinnus sit, aptus, verosimilis.* Quodsi personis in narratione adductis non respondet actio, neque probari narratio auditoribus, neque ejus ope tradi doctrina potest. Sint ergo apta omnia, quae de personis agentibus proferuntur, inque earum indolem quadrent. Neque evertitur haec regula eo, quod ipsius fabulae natura esse videtur, ut contra omnem verisimilitudinem in ea inducantur bestiae loquentes, dotibusque praeditae, quibus pro naturae legibus sunt destitutae: loquitur quidem vulpecula satis urbane, versus edit leo, foedus init cum homine equus. At in ipsa hac re, quae verisimilis non est, nihilominus verisimilitudinis observentur praecepta: cur enim homo et ipsis brutis substruat ethicas ideas,

---

55) Ewald Blick Jesu auf Natur und Menschheit cet. p. 4 sqq.

56) Matth. IX. 37. XI. 7. XII. 11. Marc. VI. 34. Luc. X. 2. XII. 24. XIII. 19. Joan. IV. 35. aliis locis.

quibus ipse est plenus, cur ergo et bestiis orationem supponat, supra jam vidimus. Tantum vero quum poetae concedatur, nondum omnia exinde permissa sunt; loqui potest quidem leo; at ita modo, uti ipsius fert ingenium; timidum inducere leonem, audacem leporem, quis unquam ausus fuerit? ostendat vulpecula astutiam, sit petulans et stupidus asinus, ovis patiens, ferox taurus; quodsi aliter inducuntur a poeta, quam natura fert, pessumdatur verisimilitudo, peritque omnis narrationis jucunditas.

§. 39.

Idem valet de parabolis: peti possunt ex vita humana similitudines quam diversissimae; omnes vero, quae inducuntur personae agentes, suam retineant indolem. Atque sine dubio hac ratione absolutae sunt nominandae Christi parabolae; quam enim ubique declarat Servator perspiciendi hominum animos facultatem, eandem et hic adhibet. Decem virgines, quae Matth. XXV. 1. inducuntur sponso obviam euntes, dicuntur ex dimidio fuisse φρόνιμοι, reliquae μωραὶ; atque quam egregie utriusque partis indoles per totam narrationem retinetur. Rex cum ministris rationes collaturus, Matth. XVIII. 21. justi praebet regis imaginem: severe agere coepit cum servo, qui solvendo non erat; at precibus motus facile eum tractat, quamdiu benignitate ille dignum se exhibet; perversam vero ejus indolem quum perspectam haberet rex, atque in eo male positam benignitatem intellexisset, omni, qua par erat, severitate in eum utitur.

§. 40.

Neque vero reliquas etiam περιστάσεις fini totius narrationis adversari adparet. Attamen hac in re, ne nimium postuletur a fabulae auctore, recte jam monuisse Storrium censemus 57). Enimvero plane non ferendum est in parabola, si levissimae etiam res prolixius demonstrantur. Quid v. c. egerit filius minor (Luc. XV. 4.), antequam accepto patrimonio relinqueret patriam domum, an tunc fortasse jam odium inter fratres intercesserit, prorsus ad rem non adtinet. Cupit egenus Lazarus satiari micis de divitis mensa decidentibus; utrum obtinuerit quicquam, an frustra petierit, alienum a re est; demonstratur nil nisi misera ejus egestas. Ita ubique non ulterius, quam res ferebat, prosequutus est Jesus singulas narrationis partes; quae vero adferuntur apta sunt omnia, atque ad illustrandam rem faciunt. In universum autem ab omni minutiarum studio tam longe abfuit Christus, ut non modo desit nonnunquam accuratior singularum περιστασέων descriptio, verum etiam haud raro inveniantur nonnulla, unde argutius investiganti difficultates satis graves conflari possint. Comparatur v. c. Matth. XIII. 14. regnum caeleste cum homine, qui una cum agro et thesaurum ibi latentem emit 58). At ignaro domino hunc quaestum

57) Monet Storrius l. l. §. XII. ad Matth. XII. statuendum esse, invitatis, antequam in coenaculum deducerentur, et vestium mutandarum locum, et vestes adeo, si deessent, fuisse concessas; alias enim inique actum esse de misero illo, qui fortasse ne domi quidem habens meliorem vestem non induere potuerit, nisi a regis liberalitate concessam.

58) Conz l. l. p. LXVI.

assecutus est; fefellit ergo dominum priorem. Utrum vero fefellerit, nec ne, nunc non quaeritur: summa similitudinis notio in diligentia et assiduitate cernitur, qua ille omnibus venditis soli thesauri possessioni studet; eodem studio affectandum esse regnum coelorum. Quodsi ergo ipsa res significata, assiduum assequendi studium, adhibita illa imagine bene exponitur, minime vituperanda comparatio. Omittenda vero sunt omnia, quae praeter comparationis summam inde deduci possint [59].

§. 41.

Atque quum hucusque demonstratum sit summum Christi in parabolis perspicuitatis studium, paucis respicienda videtur etiam Stortii (§. X.) quaestio de obscuritatis proposito simul etiam a Christo servato [60]: ponit scilicet quaesitam illam obscuritatem in eo, quod vulgo proponantur parabolae explicatione destitutae, quae postea discipulis privatim tradatur. Ipsum quoque Christum Matth. XIII. 15. hac de re se defendisse, ignaviam atque ignorantiam plebis hujus rei causam adferendo.

---

59) Eodem modo Homerus subinde petit similitudinem, ex re nostro venusti sensui non respondenti. Ajacem fortiter pugnantem neque hostium impetui cedentem, confert cum asino, qui puerorum ictus non curat Il. λ, 566 sqq. Il. ρ. 742. Ita Odyss. v. 25. similitudine satis ridicula Ulysses in cubiculo prae curis ἔνϑα καὶ ἔνϑα se volvens confertur cum stomacho cruore impleto, qui inter assandum in aliud usque latus convertitur. Res, quae praebet imaginem, non curatur, dummodo clare appareat tertium, quod dicitur, comparationis.

60) Conf. Peller ad Turretin de interpret. S. Script. p. 254. Calixt. l. l. p. 185.

At haud dubie Storrius illiberaliorem sequutus exegesin sensum a Christi verbis alienum huic loco infundit atque quasi inculcat. Non id enim quaesiverant discipuli, cur absque explicatione plebi proponeret parabolas, sed simpliciter: *δια τί ἐν παραβολαῖς λαλεῖς αὐτοῖς.* Atque hujus docendi generis causa primaria affertur a Jesu plebis ignorantia 61). Non ergo id spectat, ut plebs incultior verba quidem audiret, eorum sensum vero non assequeretur; nam plane inepte ita egisset, meliusque tacuisset; nequibat enim proponere populo doctrinam velle quam ei plane non conducere antea jam vidisset. Totus ergo locus ita capiendus est, ut illud *ὅτι* v. 13. non consilium indicet, quo ductus Jesus populum parabolarum explicatione privaverit, sed causam modo adferat, ob quam parabolicum docendi genus elegerit: *βλέποντες οὐ βλέπουσι, κ. τ. λ.* id est, summa ignorantia tenentur, unde quodque aliud docendi genus minus aptum esset; unicum quod expedit, parabolicum est. Ceterum defendi illiberalior illa Storrii explicatio loco ex Jes. laudato posse videtur. At quaecunque de iis locis, ubi dicitur Deus obcaecasse, obdurasse alicujus animum, (השמן לב) possunt afferri: sunt ea omnia

61) Conf. Theophanes homil. II. 2. Ex quatuor quas Teller l. l. figuratae orationis affert causas, non tam tertia, obscuritatis proposito, quam quarta, rei vividiore expressione nos parabolicam dictionem defendere conemur. Nam obscuritatis propositum non quadrat in eum praeceptorem, qui se ipse *τὸ φῶς τοῦ κόσμου* appellavit. Clemens. Alex. stromat. I. ab init. loco ex Matth. laudato addit verba, *μὴ ὡς τὴν ἄγνοιαν αὐτοῖς παρέχοντος τοῦ Κυρίου. καὶ γὰρ οὐ θεμιτὸν οὕτω φρονεῖν. ἀλλὰ τὴν ὑπάρχουσαν διελέγξαντος προφητικῶς, καὶ ἀσυνέτους τῶν λεγομένων ἐσομένους μηνύσαντος.*

ex Judaicis notionibus interpretanda. Adjunxit modo ex memoria Jesaiae locum sive Christus sive evangelista, quia simili modo ibi de plebis ignorantia queritur vates [62]).

§. 42.

Majorem nobis parabit difficultatem locus Marc. IV. 12, ubi illud *ἵνα βλέποντες κ. τ. λ.* diserte indicare videtur hunc fuisse Christi in adhibendis parabolis finem, ut auditores quamvis melius edoceri cupientes, facultate adeo destitueret veritatis perspiciendae. Neque sufficit etiam ratio a Calixto allata, *ἵνα* non de causa sed de effectu (*ἐκβατικῶς*) accipiendum esse: nam etiamsi indicatur modo, ita necessario fieri, ut populus ob ignorantiam non intellecturus sit parabolas: non minori tenetur Christus injustitiae crimine, qui tradiderit doctrinam, plebi obscuram. Tenendum ergo utique est, eam modo ob causam usum esse parabolis Christum, ut doctrinam doceret, quam nude propositam auditores ob ignaviam plane non fuissent capturi: *ἵνα* ergo non consilium sed causam indicat, qua ductus Servator hanc

62) Alia fortasse ratione huic loco medicina parari possit: tum verba ex Jes. laudata nonnisi usque ad finem v. 14. sunt capienda: v. 15. rem eandem suis repetit verbis Jesus; tumque *μήποτε* sensu, quo et Luc. III. 15. et 2 Tim. II. 15. obvenit, est capiendum, significans, *fortasse, si quando.* conf. Vigerus de idiot. ed. Herm. p. 457. infr. Arctissime tum *μήποτε* ad v. 13. pertineret: *διὰ τοῦτο ἐν παραβολαῖς λαλῶ αὐτοῖς, — μήποτε*, si quando ita ad meliorem frugem perduci se patiantur. Quem ergo difficultas illa non offendit, ita potest locum expedire.

dictionem elegerit: est ergo pro ὅτι dictum [63]). Sententia tunc eadem, quae apud Matthaeum evadit: in reliqua versus parte μήποτε uti locis modo (not. 52) laudatis, *num fortasse*, *si quando* erit capiendum. Idem valet de Luc. VIII. 10. Ceterum vero res, in qua minus apte quaestionis cardinem versantem posuit Storrius, per se nullam continet difficultatem. Nam omnino non potuit Servator, si sibi constare voluit, narrationibus addere explicationem: etenim si parabolae, ipsa rei expositione addita, involucrum detrahitur, evanescit omnis vis, quam supra in ipsa imagine posuimus: Potest quidem subinde τὸ ἐπιμύθιον addi: neque vero injuste agit parabolae auctor, si auditorum acumini relinquit doctrinam enucleandam. Quod vero cum suis discipulis, quibus omnem suam disciplinam erat relicturus, communicaverit nonnullarum parabolarum explicationem, num propterea reprehendendus erit? quaesiverant ex ipso, τίς εἴη ἡ παραβολὴ αὕτη; neque ulli interroganti, puto, denegaturus erat expositionem [64]).

§. 43.

At jam tempus erit a deverticulo revertendi, quo non impulit refellendi eorum sententias studium, qui difficultates praeter necessitatem moventes invocati exstitere Christi defensores. Restat ergo, ut parabolae, quae narratione explicare rem vult, *narrationis retinendam esse formam* demonstremus. Conspicitur enim omnis ejus in eo vis, ut certo quodam casu doctrinam

63) Conf. 2 Maccab. VI. 24. Sapient. XIII. 9. Glassii philol. sacr. p. 544.

64) Calixt. l. l. p. 186.

adumbret; cui consilio omnia, quae adferuntur respondere debent. Inde ergo primum certus quidam statuendus est homo agens, quum enim in omni historia de certa quadam persona referantur singula facta: idem parabolae imitandum, quae verae narrationi quam simillima vult haberi. Inde parabolae initium plerumque capitur ex certo quodam homine ponendo, Luc. XV. 11. XVIII. 10; unde plane dubium relinquitur, quin narratio rei gestae non nitatur auctoritate. Ita Matth. XIII. 31. non in universum modo narratur grani sinapis satio, neque v. 32. in universum fermenti cum farina innuitur mistura; sed utraque ad certam quandam personam revocatur 65). Similitudines, quibus deest haec certior ratio, uti Matth. XIII. 44, 45, 46, inprimis 47, nonnisi imagines, neque parabolae sunt appellandae. Praeter personas aliis etiam signis, ut temporis, loci, aliarum rerum accuratiori constitutione parabola ad verae narrationis similitudinem accedit; unde inducuntur auditores, ut quum aliis narrationis partibus nil ficti inesse observaverint, aliis etiam fidem habeant, itaque parabolae omnem in suos animos concedant vim. Atque accuratior loci constitutio invenitur in parabola Luc. IX. 30. quae instar omnium adduci potest: ἄνθρωπός τις κατέβαινεν ἀπὸ ἱερουσολυμὴν εἰς ἱεριχώ: qui loci quum omnibus sa-

---

65) Ita augeri similitudinis vim, si ad certam quandam personam res revocatur, Homeri etiam comparationes demonstrant. Femora candida Menelai cruore adspersa comparantur Il. δ. 141 sqq. cum ebore purpura tincto: at non in universum modo haec similitudo innuitur, (uti Aeneid. XII. 67.) sed certa quaedam fingitur mulier Μῃονὶς ἠὲ Κάειρα frenorum ornamenta ex ebore purpura tincto fabricata; atque ipsa comparatio ad narratiunculam adeo extenditur. Conf. et Jes. XXIX. 11.

tis essent noti, plane ne suspicio quidem exoriri poterat, ficti aliquid adesse. Accedit quod in hac narratione quae afferuntur historica adeo veritate nituntur. Erat re vera iter Hierichuntem ducens vel maxime latronibus infestum 66); unde miserum illum viatorem in eorum insidias incidisse, cuinam scrupulum injicere poterat? Quum vero ipsis Hierosolymis haec parabola narrata esse videatur, et auditoribus de itineris periculis constare debebat. Locum enim ubi narrata est, accuratissime ex v. 38. constituere possumus; haud longe a vico Bethania abesse poterat Servator, quo mox se recipit; quumque cum legis perito communicet narrationem, haud dubie in templo versatus esse videtur. Eodem modo in aliis etiam parabolis ex rebus vere gestis petiit Jesus similitudinem. Luc. XIX. 12. inducitur vir, qui regiam dignitatem impetraturus in longinquam terram proficiscitur. Res ergo innuitur, quae saepius illo tempore eveniebat, quo Romani terrarum imperium adepti principes, antequam regia dignitate ornarentur, Romam arcessere, suisque ibi moribus instituere solebant 67). Nonne autem parabola, quae adeo historica fide nititur, eandem quam vera narratio in auditores exercere debebat efficaciam?

§. 44.

Certior temporis constitutio invenitur v. c. Matth. XXV. 6, XXI. 1, ubi per totam narrationem tam egregie observantur

---

66) Teste Hieronymo ad. h. l. collis erat Adonim dictus a cruore viatorum ibi effuso. Conf. Clericus ad. h. l.

67) Constat idem de Archelao, Herodis magni successore. Joseph. archaeol. Judaic. XVII. p. 714 ed Hudson.

singulae temporis notiones, ut profecto nesciamus, an praeclarius ficta cum factis possint conflari. Ita multis locis additur certior numerus, cui in re significata nil quidem respondet; augetur vero numero constituto veritatis species. Utrum fuerint virgines illae sponso obviam euntes, decem an plures paucioresve, ad rem nil pertinet: denarius vero numerus quadrabat fortasse ex gentis more in virgines sponsum comitantes. Ita diviti ad inferos conjecto (Luc. XVI. 28.) quinque adduntur fratres; quicunque alius numerus non minus convenisset; erat autem quodam numero opus ad augendam rei verisimilitudinem. Eadem ratione certus refertur farinae satorum numerus, quibus mulier (Matth. XIII. 33) admiscuerit fermentum; ternarius adhibetur numerus loco cujusvis alius; res autem si vere facta fuisset, haud dubie certa quaedam adfuisset farinae massa.

§. 45.

Ultimum, quod de parabolae dispositione praecipiendum habemus, ambitum ejus spectat; contineatur ergo justis finibus, *ut neque brevior sit, neque justo longior.* Atque potest quidem ex cujusque parabolae summa notione constitui satis perspicua ejusdem mensura: quodsi demonstrandae rei satisfactum fuerit, finis imponatur narrationi. Plura igitur si adduntur, quam quae ad demonstrandam rem faciunt, possunt aut superflua afferri, aut quae adsunt prolixius tractari; utrumque fugiendum. Etenim quae superflua sunt, quaeque exposito fini insuper adduntur, per se abesse debent. Ita in parabola Luc. X. 30. consilio satis factum est, quum notio *τοῦ πλησίον* ad omnem, qui ope nostra indigeat, relata fuerit. Multa quidem restant nondum exposita. Num reversus est Samaritanus, num solvit,

quae caupo praeter duo denarios insumserit? Miser ille num mortuus est in deversorio, an forte sanatus? quaestio est supervacanea: demonstravit Samaritanus, sibi τὸν πλήσιον esse quemque miserum, quantumvis ex hostili gente oriundum. Ita Luc. XV. 11. non exponitur, utrum cum fratre, adhortante patre, in gratiam redierit filius major, an odium retinuerit. Quid enim id fecisset ad demonstrandam primariam notionem, benigne excipi a Deo quemque peccatorem ad meliorem frugem reversum? Ita Luc. XIX. 12. ab initio decem inducuntur servi; at quum rex cum tribus prioribus rationes contulisset, jam constabat notio, quam parabola exprimere Jesus volebat; de septem reliquis ergo non quaeritur.

§. 46.

Non minus vero prolixior rei tractatio fugienda: esse scilicet summam parabolae virtutem in brevitate et simplicitate ponendam, satis jam demonstratum est a Viris D.D. 68). Animalium in fabula usus causam minime spernendam adtulit Lessingius, quod adducto animalis cujusdam nomine de ejus moribus jam satis constat; superflua ergo censenda uberior characteris descriptio, περιστασέων adumbratio, quae ornare fortasse rem possit; quo nomine Franco-Gallos jure castigavit Lessingius, nimium fabulae ornamento tribuentes. Paulo alia res in parabola est: neque adducuntur animalia, neque hominis, prout inducitur, mores statim constant. Plerumque vero plane opus non est, ut de iis constet. Qua indole sit miser ille viator, Samaritanus haud quaerit: homo est; idque sufficit illi ad auxi-

---

68) Lessing. l. l. dissertat. IV. Storr l. l. §. XV.

lium ferendum. Ubi vero ingenii indolisque accuratiori cognitione opus est, additam illam a Jesu videmus. Decem virgines Matth. XXV. 1. inducuntur φρόνιμοι, — μωραί; paucis verbis de iis constat: Quae vero antea jam stultitiae aut prudentiae ediderint specimina, quaque in re earum perspecta sit indoles, haud refert. Saepius personae nomen prout inducitur, ingenium jam constituit; quid de patre Luc. XV. 11. praeter amorem poteris suspicari? Simplicitatis vero illius per singulas partes continuandae quis diligentior Christo observator? Ille enim qui longe aberat a doctis Pharisaeorum disputationibus simpliciter omnia eamque ob rem graviter protulit, unde judicatus etiam est διδάσκων ὡς ἐξουσίαν ἔχων, καὶ οὐχ ὡς οἱ γραμματεῖς.

§. 47.

Quae ergo superflua dici possint in Christi parabolis, equidem non invenio: neque vero afferri quicquam posse contendo, quod in iis desideretur. Justam cujusque parabolae mensuram supra jam ex sententia docenda jussimus constitui; huic ergo si suffecerit narratio, omne quod postulari potest praestitit. Utrum vero sufficiat parabola aliqua ad inveniendam sententiam, ab aliis aliter secundum cujusque ingenii facultatem potest constitui. Eadem ergo parabola, quae alii luce clarior videtur, potest alii minus felicis ingenii tenebris esse obruta, neque clarum exhibere sensum. Utrum ergo in singulis parabolis adsint omnia quae ad perspiciendam rem faciunt, an major pars sit omissa, id nonnisi pro singulorum hominum potest indole constitui. Quodsi vero ex tanta hominum et eruditorum et incultorum multitudine, per tot jam saecula ne unum quidem invenimus, qui summam inesse Jesu parabolis lucem negaverit; si hae nar-

rationes ab hominibus ingenio, indole, moribus, doctrina diversissimis, philosophiae luce eruditis, aut spissa superstitionis caligine obrutis, a Viris D. D. partium studio inter se alienissimis — eadem perspicuitatis, efficaciae, perfectionis laude insigniuntur; si, inquam, omnes reliquis in rebus dissentientes, in aequabili earum laude consentiunt: nonne nos hoc saltem nomine easdem absolutas possumus judicare?

§. 48.

Jam ergo si quae hucusque sunt disputata, in unum congesta uni oculorum obtutui objiciuntur: quid est, quod in Jesu Christi parabolis desiderari possit? Unitatis legem sequuntur, consentiunt secum ipsae, neque alieni quid admixtum habent; summae notioni ab omni parte respondent; imaginem, qua doctrinam adumbrant, ex re in vulgus nota petunt; justam ambitus mensuram observant, ut neque arctioribus finibus contineantur, neque latius pateant; quid multa? omnes leges sequuntur, quibus circumscribi ejusmodi *ποιήματα* possunt. Si ergo in universum parabola poeseos nomen meretur, quid obstat, quo minus absolutissimas illas nominemus?

SECTIO II.

De forma Jesu Christi parabolarum.

§. 49.

Est quidem omnium parabolarum eadem *narrandi* forma, qua sola certa quaedam vitae humanae conditio certusque casus

potest adumbrari. Debet vero et ipsa dicendi forma quadrare in parabolae indolem; de qua re si non multa, possunt tamen nonnulla moneri. Reservanda ergo parabolis est dicendi ratio unice narrando apta, simplex, pedestris, auditoribus adaptata. Absint ergo omnes voces, quae sublimius dicendi genus spirantes non tam illustrandae rei quam obscurandae inservire possint. Quantumvis enim parabola allegorici dicendi generis species est judicanda, ipsa tamen sermonem metaphoricum non admittit; etenim ipsi metaphorae si insuper additur translatio, plane evanescit perspicuitas, cui in quaque populari dictione inprimis studendum. Peculiarem scilicet parabolae usum in populi institutionem quadrare supra demonstratum est. Quid vero expedit populo sublimes audivisse voces, quibus sensum subjicere nequeat? plana sit dictio, Christi orationi similis.

Deinde pedestrem sumsimus orationem: quid vero fiet de parabolis versibus expressis; num Phaedri fabulis, Franco-Gallorum fere omnibus, plurimis nostratium, num parabolis Christi a Conzio numeris adstrictis, hoc nomen est denegandum? Distinguatur necesse est inter fabulas, quae in rerum actu ipsi populo enarrantur et quas elaboravit poetarum studium. Cui coram populo est dicendum, haud dubie versus non adsunt; pedestri oratione usus est Menenius Agrippa (Liv. 11. 32.) plebem ad reditum in gratiam cum patribus exhortaturus; poeticum ornatum neque adhibuit Jotham (Judic. XI. 8.), verba faciens coram Sichemitis, neque Stesichorus (Aristot. ll) Himerensibus fabulam enarrans. Unde et Christo parabolis populum instituenti displicere debebat poeticum ornamentum. Qui vero non data occasione fabulam componentes ingenii potius specimen exhibere volunt, versibus possunt uti. Phaedrus vix praeter ver-

sum quicquam Aesopicis fabulis addidit: versibus usi sunt seriores poetae. Unde versum quidem ab ipsa parabola alienum, ferri tamen posse judicaverimus tamquam idoneum dictionis ornamentum.

§. 50.

Perspicuitas vero illa quantumvis sermonem planum et infucatum postulet, non ita tamen est intelligenda, ut plane demissam languidamque requirat dictionem, abs qua longissime abest vivida alacrisque Christi oratio. Eo. v. c. referendum est, si personae loquentes inducuntur, sermo ergo obliquus in rectum vertitur; Luc. XVI. 2, ubi quaestiones responsis exceptae dramatici quid addunt parabolae sermonis alacritatem valde augens. Ita Matth. XVIII. 12. ex quaestione capit parabolae initium, *τί ὑμῖν δοκεῖ;* conf. et Luc. XV. 5. inprimis VII. 19. ubi sermone ad ipsam animam converso, ipsiusque Dei inductis verbis mirum quantum narratio *ποιητικώτερα* redditur. Quid vero diutius haeremus in singulis, quum idem in omnibus fere parabolis inveniatur?

Gravissimum vero in parabolae forma est, ut ne, omissa parabolicâ dictione, adhibeantur verba rem proprie significantia; non minus enim quam in singularum partium adornatione in ipsis verbis videndum est, ne alienae voces admisceantur; id quod haud raro omittitur in omni metaphorica allegoricaque dictione, quodsi enim in ipsa parabola inveniuntur verba rem proprie indicantia, quam nonnisi sub imagine demonstrari voluimus, pessumdatur historicae narrationis species, planeque perit jucunda illa fraus, qua auditores circumvenit auctor. Res eadem est, ac si in pictis tabulis rerum imagini et ipsarum particulae

e natura petitae, arborum ergo folia sive corporis humani membra carnea adderentur. Quantum vero nos videmus, cautissime versatus est Servator in adhibendis vocibus imaginibusque illustrandis 69).

§. 51.

Jam ergo ex iis, quae hucusque sunt exposita, constrare arbitror, quaecunque afferri possint bene componendae parabolae praecepta, ea et in materia et in forma caute esse a Jesu observata, unde poeticam earum indolem ad vividam et sinceram rei praecipiendae adumbrationem, congruamque et fictionis et formae perfectionem revocare audemus. Atque si jure Aristoteles ad pulcram naturae imitationem poeseos vim revocavit, et Christi parabolis ubique vivam naturae imaginem spirantibus poeseos indoles est concedenda. Felix erat Servator in inveniendis imaginibus, rem illustrantibus, cautus in tractandis, consilii, cui studebat, observator diligentissimus. Unde si per tot jam saecula aditum sibi paravit divina ejus disciplina in hominum animos, egregiae huic docendi rationi haud ultimum felicis successus concedendum videtur momentum.

---

69) Videtur quidem sibi Storrius (§. XI.) ejusmodi aliquid invenisse Matth. XXII. 10. ubi boni et mali adhibiti sint pro convivis digno aut indigno vestitu venientibus; at boni et mali nonnisi tamquam contrariae notiones universitatem hominum indicant, qui nullo excluso perinde sint invitandi. Ita contrariis notionibus saepissime generalior sententiae ambitus exhibetur. Psalm. II. 2. ibique interpp.

CAPUT III.

DE PARABOLARUM INTERPRETATIONE.

SECTIO I.

De interpretatione ex hermeneutices praeceptis.

§. 52.

Quaecunque ergo a parabolarum auctore postulari possunt, ea omnia diligenter esse Servatorem secutum, demonstrasse jam satis superque nobis videmur. Restat ergo, si ex iisdem omnem utilitatem percipere volumus, quam re vera continent, ut recte iis utamur, eandem in interpretando adhibentes diligentiam, qua Christus in componendo utebatur.

Hermeneutice, quum et ipsa ars sit, potest quidem nonnullis circumscribi regulis: quae vero adferuntur, quomodo sint adhibendae, non potest denuo constitui, sed ingenii felicitati

est relinquendum; id quod omnis artis proprium esse videtur. Quum enim quae adsunt, duplici modo possint capi, deserunt nos regulae, atque soli nostro venusti sensui est confidendum: qui ubi in aliis alius est, diversas explicationes fundit. Est vero hermeneutices summa notio, ut quae senserit et cogitaverit scriptorum auctor, eadem apud nos revocemus atque quasi denuo inveniamus: unde exegesis non minus in agendo posita est, quam ipsa ποίησις. Ordo vero, quem sequitur interpres, plane contrarius ei est, qui ducit auctorem. Hic enim primum sibi proponit sententiam aliquam, quam verbis exsequitur: illi vero oblata verba sunt, unde sententiam eruat; quam ob rem hanc nostram de parabolarum interpretatione disputationem in tres aptissime distingui partes sponte apparet: videamus ergo 1) de re narrata, 2) de re significata, 3) de utriusque nexu.

A. *De re narrata.*

Ad inveniendum ipsius narrationis sensum vix opus est, ut aliquid addatur; prorsus enim eaedem hic valebunt hermeneutices regulae, quibus cujusque alius narrationis interpretatio nititur. Sunt enim hae narrationes eadem forma, qua omnes Veterum libri traditi; unde si ad intelligendos N. T. libros certa quodam spiritus divini adflatu opus esset, supersedere possemus ipsis scriptis, atque in solo illo adflatu acquiescere. — A singulorum ergo verborum explicatione fit progressus ad sententiarum expositionem, unde denique tota narratio apparebit. Hanc enim unice veram interpretandi esse viam, neque a sententiae universalis expositione progredi posse ad singula verba explicanda, exinde apparet, quod ipsa sententia nonnisi ex singulis ver-

bis eorumque conjunctione constituitur. De hac ergo interpretationis parte nil habemus, quod addi insuper possit.

At ne nihil dixisse videamur, unicum id modo monemus, quum haud ultimam parabolae virtutem in brevitate atque simplicitate posuerimus, ad hanc legem saepius refugiendum esse, ubi narrationis nexus minus bene procedat. In parabola Matth. XXII. I. de rege filio epulas parante, non quaerendum esse, unde miser ille vestem parare sibi potuerit, jam monuit Storrius. l. l. §. XII. Ita saepius nodus in scirpo potest quaeri. Nonne v. c. sator ille Matth. XIII. in diversi generis agrum semina spargens impedire potuisset, quo minus grana in loca saxosa, inter spinas, ad viam conjicerentur, nonne fertili agro reservari potuissent omnia? Num putandae sunt virgines Matth. XXV. I. praeter lucernas oleum etiam ἐν αγγείοις secum portasse? in solemnia nuptialia saltem haud quadrare videtur, si virgines secum ferunt olei pyxides. At sunt hae omnes quaestiones de lana caprina motae. Res potest ita cogitari: idque sufficiebat servatori ad ejusmodi similitudines adhibendas, unde et interpretem morari non debet. At ne de rebus inanibus inania dixisse videamur, sequitur, ut

B. *Res significata*

§. 53.

inquiratur. Summa ergo ante omnia parabolae notio, sive idea primaria investiganda est, ex qua demum narrationis nexus potest intelligi 70). Ad inveniendam vero illam sententiam in

70) Haec unice vera explicandi est ratio: quae enim antea jactabatur idearum associatio, pernicies ac pestis quasi omnis

Christi parabolis plura nobis parata sunt auxilia, quae cum Storrio in *externa* atque *interna* distribuere possumus.

Externa auxilia appellamus, si aliunde parabolarum peti potest summa sententia, ipsius ergo auctoris accedit interpretatio. Etenim quando parabolae auctor ejusdem exsistit et interpres, quis eo potest aequior inveniri? Atque inveniuntur parabolae, quibus a) *Christus summam sententiam προμυθίου instar praefixit;* quae quidem ratio in profanis etiam parabolis subinde obvia, quantumvis rectam imaginis perceptionem egregie adjuvet, potest tamen nostram cogitationem quodammodo hebetare videri: nam si ab initio jam constiterit, quid sibi velit fabula, non licet proprium acumen adhibere. Nihilominus compensatur hoc incommodum eo, quod tunc de sincero narrationis sensu dubitatio nulla potest exoriri. Ab initio jam constat fabulae finis, unde ad ea diligenter licet adtendere, quae ad rem demonstrandam faciunt; atque ita accuratius infigitur animo sententia. Neque usquam quidem tam diserte ab initio praefixit Christus parabolae sensum, ut exinde nulla auditoribus relicta fuisset exercendi ingenii facultas; nam paucissimae illae voces, unde parabola initium capit, ὁμοία ἐστὶν ἡ βασιλεῖα τῶν οὐρ. Matth. XIII. 31. aliis locis, nonnisi rationem constituunt, qua

---

sanae hermeneutices est appellanda: potest associationis ope ex particulis quam diversissimis componi opus; inde interpretum conamina, ubi ex idearum similitudine non bene cohaerent singulae partes, in plura fragmenta dissecandi veterum opera, quae summa notione arcte inter se cohaerent; unde vix ullus invenitur scriptor, qui hanc criticorum injuriam non lugeat; absit atomistica illa ratio; ex summa notione explicentur omnia.

parabola latissimo ambitu sit accipienda. Tantum ergo abest, ut opprimant et hebetent nostram cogitationem, ut eidem egregie prospiciant. —

Eodem modo sententiam, quam universa fabula docet, et praefigit narrationi, et eandem in fine subjungit: Matth. XIX. 30. conf. XX. 16. Ad eandem classem referre possumus parabolae indicium, quod evangelista nonnumquam de suis praemittit, uti Luc. XVIII. 19, XIX. 11, cui haud dubie, quum ipse narrationi adesset, ex aequo suppetit judicium.

§. 54.

b) *Multo saepius vero sententiam universalem tamquam ἐπιμύθιον universae narrationi subjungit Christus,* uti Matth. XVIII. 35, XIII. 34, XXI. 31, 42, Luc. XII. 21, XVIII. 6, 14, XVI. 8; cujus generis fabulas compositas Lessingius appellavit. Habet vero et ejusmodi ἐπιμύθιον suum usum; etenim cogitationi auditorum ita egregie succurritur, planeque impeditur, quo minus sensus perversus narrationi subjiciatur.

Pluribus locis non breve tantum ἐπιμύθιον, sed disertam adeo singularum partium explicationem additam invenimus; quae cur subinde solis discipulis sit tradita, de eo V. §. 42. Hanc ergo si, uti Matth. XIII. 18, Marc. IV. 14, habemus, parabolae sensum possumus optime perspicere, et haud exiguum ad reliquas etiam parabolas interpretandas auxilium capere.

c) Plures vero parabolae restant, quibus nec disertior explicatio, neque sensus modo indicium a Servatore additur: relinquit ergo auditorum judicio, ut ipsi suam sententiam inveniant; tunc ergo maxime orationis nexus respiciendus, quo parabolae traduntur; id quod auditoribus, quibus de certa enarratae para-

bolae causa optime constituerat, magis etiam suppetebat. Parabola v. c. Matth. XXV. 1. praeter verba in calce addita, *Γρηγορεῖτε οὖν, ὅτι οὐκ οἴδατε τὴν ἡμέραν. κ. τ. λ.* ex totius orationis nexu jam accipit expositionem. Adhortatus erat Christus auditores, ut ad Messiae adventum parati usque essent; quod de tempore, quo sit adventurus, nemini constet; adumbrat eandem sententiam narratione de virginibus stolidis, quae adventantis sponsi tempus non observaverint. Eodem modo parabolae Matth. XXI. 33. de vinitoribus domini jussui haud obtemperantibus, explicatio ex sequentibus potest comparari. Addit enim v. 43, Judaeorum reprobationem, ethnicorumque vocationem esse intelligendam.

§. 55.

d) Deinde vero exinde quod *auditoribus semper, uti par erat, adaptare doctrinam solebat Christus,* haud leve interpretationis peti auxilium potest; spectant enim parabolae haud dubie illorum et mores et dicta factaque. Ita parabolam de filio perdito ex refellendi Pharisaeorum objurgationes studio supra jam sumus interpretati. Parabola Luc. V. 36. per se vix intelligi potest; ex narrationis vero nexu apparet, Jesum in suam disciplinam noluisse adhibere, quae minus ipsi placebant, quantumvis Mosaicis legibus sancita. Ex Luc. XIX. 11. constat, sibi persuasisse Jesu asseclas de proxime instanti regno Messiano; quid ergo aliud sibi vult parabola de rege diversis dotibus servos donante, nisi esse illi spei non nimium tribuendum, sed interea vires a Deo concessas pro cujusque facultate adhibendas. Parabola de divite, paupereque Lazaro egregie accipit explicationem ex paucis ab evangelista additis verbis. v. 14. *ἤκουον δὲ*

ταῦτα πάντα Φαρισαῖοι, φιλάργυροι ὑπάρχοντες: horum ergo haud dubie carpit parabola avaritiam.

e) Postremo vero etiam ex *aliis locis potest parabolae lux affundi;* est enim ubique scriptor ex semet ipso, alius ergo locus ex alio interpretandus, Ita Luc. XIV. 16. parabolam ex similitudine significationis cum Matth. XXII. 2. interpretari licet; uterque locus haud dubie de ethnicis et ipsis ad regnum divinum vocatis valebit. Ita Matth. XVIII. 34, 35. parabola eandem sententiam exsequitur, quam VI. 15. nude propositam videmus. Eidem alterius parabolae ad alteram intelligendam translationi, ipsum etiam Christum haud parvum tribuisse, ingeniose Storrius (§. XIII.) exinde probat, quod parabolam saepius jam adhibitam reliquis intellectu faciliorem Christus judicaverit. Marc. IV. 13. parabolam de satore hanc modo ob causam potest faciliorem nominare, quod saepius eandem jam adhibuerat, uti Joan. IV. 35, Marc. IV. 26, Matth. XIII. 24.

§. 56.

Interna vero appellare possumus auxilia, ubi ex ipsa narratione eruendus erit parabolae sensus. Atque vix invenietur quaepiam parabola omnibus externis interpretationis subsidiis destituta, quantumvis saepe tam pauca addita sunt verba, ut nonnisi digito monstratus ejusdem sensus videatur. Potest vero ex omnibus illis externis auxiliis, ubi diserta explicatio non addita est, nonnisi in universum peti notio, qua in parabolam inquirendum sit; accuratior vero sensus demonstratio nonnisi ex ipsa narratione proficiscitur. Ita ex verbis pluribus parabolis praefixis, ὁμοία ἐστὶν ἡ βασιλεία τ. οὐρ. κ. τ. λ. in universum modo indicatur, esse de regno coelesti similitudinem accipiendam; quid

vero de eo praecipiatur, ipsa similitudo docere debet. Jam vero si ex omnibus illis auxiliis de sententia, quam adumbrat parabola, constiterit, nihil aliud restat, nisi, ut

C. *Rei narratae cum significata nexus*

§. 57.

investigetur. Vidimus ergo duplicem omnis parabolae esse sensum, priorem plane historicum, posteriorem, quem innuat historia. At vero duplicem si licet certis quibusdam scripturae S. locis inferre sensum, quidni etiam triplex, multiplex inferatur? cujus interpretationis exempla in tota hermeneutices facrae historia inveniuntur. Videbantur sibi interpretes in pluribus N. T. locis futura ecclesiae fata mystice indicata deprehendere, donec recentiori tempore interpretationi historico-grammaticae amplior est locus concessus. Attamen diligenter distinguendum est inter locos, quibus duplicem sensum subiicer licet, quibusque non licet; etenim allegoricam dictionem, cujus species est parabola, praeter literalem (ita dictum) sensum, altiorem quoque continere sententiam, quis est, quem fugiat? unde praeter rem narratam in parabola et significatam invenire possumus, haud veriti, ne mystici sensus nobis subjiciantur.

Quando ergo ex auxiliis supra allatis de summa parabolae sententia constiterit, abs qua pendet totius narrationis nexus, ad eandem referenda erit tota parabola cum singulis partibus. Enimvero auctoris in componenda parabola consilium nonnisi unum erat; ad unam ergo rem spectant omnia, quae narrationi implicuit cogitata; unde interpreti nihil aliud agendum, nisi ut secundum eandem cogitationis seriem denuo evolvat, quae narrationis involucro obducta invenit; potest ergo ex singulis para-

bolis nonnisi una peti sententia. Parabola v. c. Matth. XXII. 1. ex duabus partibus constat; quarum quidem prior docet, regni coelestis gaudia ab iis, quibus primum oblata sint, si spernantur, ad alios, nulla generis conditionisque ratione habita, translatum iri: posterior vero demonstrat, paratos esse animo debere, qui gaudiis istis frui velint. Apparet ergo ex his partibus, primo quidem adspectu diversis, conditio qua dignus homo evadit, qui regni coelestis sodalibus adscribatur; etenim si neque spreverit Dei invitationem, quemadmodum priores illi vocati, neque animum ad haec gaudia praeparare neglexerit, uti miser ille vestem coenatoriam sumere oblitus, dignus evadit illa felicitate; ad eandem ergo sententiam utraque pars debet revocari.

§. 58.

Ceterum si ad eandem rem describendam plures adhibentur a Jesu similitudines, diligenter observandum, qua in re singulae inter se discrepent. Quotcunque v. c. Jesus ad describendum regnum caeleste parabolis utitur, tot fere paucis exceptis diversas ejus notiones adumbrat. Matth. XIII. v. c. inveniuntur septem similitudines, regnum coeleste adumbrantes, e quibus quintuplex ejus statuitur notio 71). *Prima* de satore

71) At non et Christus putandus, ex ordine ita proposuisse omnes has parabolas, uti leguntur apud Matthaeum in unum congestae. Voluit haud dubie evangelista specimen afferre parabolarum diverso et tempore et loco exhibitarum. Idem Matthaei studium in unum conferendi, quae loco et tempore diversa sunt, per totum ejus evangelium, inprimis vero in gnomologia illa, quam sub orationis montanae nomine habemus, apparet.

(v. 3—8.) semina spargente varias rationes describit, quibus excipiatur ab hominibus religionis christianae disciplina; *altera* de zizaniis inter triticum (v. 24—30.), quacum congruit *ultima* (v. 47—50.) eandem fere rem exhibere videtur, quippe inveniri et dignos et indignos Jesu asseclas; nihilominus alia ejus notio ex fine maxime apparet; non enim demonstratur modo, ita fieri, ut inter triticum et inveniantur zizania, sed ratio affertur, qua de hac iniquitate consolari nos possimus; finem esse exspectandum, singulis tunc jussum redditum iri; id quod in altera sejunctio zizaniorum a tritico, in ultima separatio utilium piscium ab inutilibus docet. *Tertia* deinde similitudo (v. 31. 32) docet ex parvis initiis res admodum magnas exoriri; idem valere in religionis christianae primordium; elucet quidem eadem fere sententia ex *quarta* (v. 33.) similitudine, ex parva fermenti particula omnem farinae massam fermentari; nihilominus in eo potius vertitur demonstrationis cardo, ut usque ad minimam farinae partem progredi fermentandi vim doceatur: ἕως οὗ ἐζυμώθη ὅλον; unde ergo spes suppeditari videtur, fore, ut religionis christianae notitia ad omnes usque perveniat. Denique quae sequuntur duae parabolae ad rem fere eandem redeunt; (v. 44—46.) esse ante omnia regni coelestis possessioni studendum. Quantumvis ergo inter tot similitudines ex nonnullis eadem proficiscatur sententia: ipsa tamen ratio, qua eandem rem diversae imagines adumbrant, optimam praebet auditoribus facultatem, rem diverso modo propositam facilius perspiciendi. Apparet vero etiam exinde, quam caute sit in constituenda summa alicujus parabolae notione versandum.

§. 59.

Praeceptum vero illud de summa parabolae notione ubique observanda inprimis in singularum partium explicatione adhibendum est; partes modo sunt parabolae, unde ad eundem, quem universa parabola exsequitur finem, conspirent necesse est, neque per aliquid docere possunt. Vidimus supra, haud ultimam parabolae virtutem in narratione esse ponendam rerum gestarum relationi quam simillima. Omnia ergo, quibus nonnisi rei gestae similitudo exhibetur, si per se etiam in comparationem adhibentur, alius inducitur insuper parabolae finis, quem ipse auctor non secutus est. Habent omnes in parabola enarratae res suam quidem vim; conspirant uti in pictis tabulis singula lineamenta ad exhibendam totius imaginis effictionem, unde, nil frigere in parabolis, Petersenio [72]) lubentissime concedimus; singula vero etiam cadere in comparationem plane cum pluribus [73]) negamus. Ubi adhibentur in parabolis personae agentes, jure suo optimo agunt; quaeque exinde apparet notio, haud dubie in comparationem cadit; ipsis vero personis nulla

72) Petersen die Gleichnisse des Herrn. Hamburg 1712.

73) Conf. Tertullian. apud Semler. anth. hermeneutic. ex Tertull. Spec. I. p. 27. Chrysostom. homil. XIV. in Matth. Isidor. Pelusiot. epist. CVII, CLXXV et CCLXVII. Basilius Magnus reg. brev. CCLIV. Theophylact. in cap. III. Joan. cap. XVI. Luther. Opp. XIII. p. 387. Bucer enarratt. in Matth. XX, XXII, XXV, Luc. XVI. Calixt. l. l. p. 186. Turretin. l. l. p. 262 sqq. 148. Ernesti institutt. interpret. I. p. 11. Zachariae Einleitung in die Auslegekunst der heil. Schrift. p. 65. Bauer ad Glassii philol. sacr. II. 228.

altior notio subest: Samaritanus v. c. misero viatori opem ferens, quid praeter misericordis notionem praebet? eaque sola ad rem demonstrandam opus est. Qui vero praeterea sub ejus imagine Christum adumbrari, miserum vero illum viatorem Adamum significare autumat: nonne hic *τύπους* scripturae S. inculcans, mysticisque motus sensibus toto coelo aberasse a veritate censendus est? Decem virgines stultitiae et prudentiae praebent imaginem: quid vero de iis dicamus, qui significari earum exemplo futura ecclesiae fata censent? quid v. c. de Coccejo 74) statuamus, qui *stultarum* agendi rationem ad eos, qui Romana sacra pontificalia profitentur, *prudentium* ad eorum numerum transtulit, qui reformarunt ecclesiae disciplinam? Nonne ita pessumdatur omnis sanae interpretationis notio, si *οἱ πωλοῦντες*, ad quos abeunt morae virgines oleum sibi comparaturae, de ecclesiae pontificiae exponuntur doctoribus; si lucernae, quibus instructae singulae sunt, ad lumen internum referuntur, quo Christianus quisque illuminari debeat?

§. 60.

In parabola de filio perdito singulae res, quibus pater redeuntis filii honorat adventum, suam quidem habent vim: *στολὴ ἡ πρώτη*, qua induitur, *ὁ δάκτυλος*, quo manus ornantur, *τὰ ὑποδήματα* pedibus addita, *ὁ μόσχος ὁ σιτευτὸς*, quo epulantur, quid aliud indicat, nisi laetissime a patre esse filium exceptum? Singulis vero certant quandam addere notionem, ut singulis peculiare quoddam Dei erga homines beneficium indicetur, nonne

74) Cocceji disputatt. select. XXXV. p. 89. Theophylact. Comment. in Matth. XX.

plane ineptae interpretationis est? Ubi certus cujusdam rei adfertur numerus, id tantummodo ad exhibendam rei gestae similitudinem fieri supra jam vidimus; in numeris ergo argutari, iisque peculiarem quandam inculcare notionem, nonne interpretis est, quem plane fugit parabolae indoles? Unde rejicienda sunt eorum conamina, qui pari virginum prudentium ac morarum numero indicari autumant parem inveniri in mundo proborum et improborum copiam; plane rejiciendae eorum interpretationes, qui ex Luc. XIX. 1. quum fideles duo sint servi, ignavus unus, doceri arbitrantur, improbos a probis numero superari. At jam taedet, fusius persequi inrerpretum ineptias, qui primariam omnis hermeneutices de summa notione observanda regnlam parum secuti, typologiaeque erroribus obducti non tam explicuerunt parabolae sensum, quam eidem inculcarunt sua somnia.

SECTIO II.

De interpretatione populari.

---

§. 61.

Quando in vulgi usum convertendae sunt parabolae, minus arctis continetur interpretatio limitibus, quam ubi hermeneutices regulis fulcitur, propterea quod ad usum quae spectant summopere ab omni parte arripienda sunt. Quantumvis ergo in concione sacra cujusque parabolae finis primarius et ipse uti-

que est spectandus: non video tamen, cur oratori non liceat, ex aliis etiam parabolae partibus materiem sibi sumere minus arcte ad summam illam ideam spectantem. Etenim si, uti totius cultus ecclesiastici, ita et concionum sacrarum summa est notio, ut homo cultu Dei morali ad religionis Christianae rationem conformato, fini cui destinatus est, aptior reddatur: haud dubie egregio huic consilio ab omni parte studendum erit. Quodsi ergo paulo latiori parabolarum interpretatione augeri potest auditorum in res divinas intelligentia, animusque virtutis studio inflammari: sunt profecto omnes hanc rem adjuvantes rationes nobis adhibendae.

Accedit aliud: quoniam enim cuique orationi sacrae, singulis diebus sive festis sive dominicis habendae, praescripta est certa quaedam Novi T. περικοπή; omni ratione eo adnitendum videtur, ut ex illis locis, quamdiu ecclesiae auctoritate sanciuntur, concionandi materiae eruantur et novae usque et aptae. Quodsi vero eadem parabola quotannis ex interpretationis supra allatae regulis esset explicanda: fieret haud dubie, ut ex ejusdem summa notione res eadem singulis annis recoqueretur. Qua re, ut omittam molestiam concionatoribus exinde orituram, auditorum commodo parum esset provisum. Unde jam constare arbitror, oratori sacro latiorem concedendum esse explicationis campum ad vulgi usum conformatae.

§. 62.

Atque primum quidem ex majori hac interpretandi facultate minime tamen ipsi licebit adhibere mysticam illam supra jam rejectam explicationem, qua singulis verbis sensum supponat plane ab auctoris consilio alienum. Neque ergo orationem sa-

cram habenti licet propheticas in iis invenire notiones; absint omnes mystici sensus: neque potest ex singulis vocibus argumenta deducere ad religionis dogmata demonstranda; quodsi ergo quispiam ex verbis Luc. XVI. 22. ὑπὸ τῶν ἀγγέλων, demonstrare vellet genios coelestes et esse, et certis quibusdam fungi muneribus: eadem premeretur ejus argumentatio difficultate, qua omnem ejusmodi e verbis petendam conclusionem rejecimus.

Unica ergo quae populari interpretationi concedi potest libertas in respiciendis singulis parabolae partibus collocatur. Possunt enim singulae narrationis περιστάσεις, quae ad totius notionis exhibendam imaginem conspirant, longam et ipsae utilissimarum quaestionum praebere materiem. Singula granorum genera Matth. XIII. 3, quae pro agri, quem nacta sunt, diversitate, diversum eventum praebent, et in accuratiori interpretatione ad diversas hominum species ipso Jesu auctore sunt referenda; neque vero refert diutius haerere in similitudine seminum v. c. inter spinas conjectorum cum hominibus, qui auditam doctrinam rerum terrestrium cura suffocari patiantur. Ad populi vero usum qui hanc parabolam convertit, fusius etiam hanc similitudinem potest sequi, exindeque inanitatem rerum terrestrium probare, quae avocent homines a doctrinae salutiferae perceptione. Ita summum quidem est parabolae Luc. XV. 11. consilium, ut benigne excipi a Deo peccatorem ad meliorem frugem reversum demonstretur. Potest vero, ubi ad vulgi usum haec parabola explicatur, ex aliis etiam ejusdem partibus haud exigua peti concionandi materies; filius minor ubi ad se reversus de stultitia coepit moerere, patrisque meminisse facilitatis, egregium praebet ejus animi exemplum, quo quisque, quem piget peccatorum, ad Dei gratiam debet redire: quae res

si uberius exposita fuerit; auditorum animos potest utique movere. Ita fratris majoris malignitas, tam vividis coloribus picta, praebet exemplum hominis arctioribus sensibus moti, deque aliorum felicitate misere lugentis.

§. 63.

Parabolae Matth. XX. 1 sqq. de operis ad vineam colendam conductis summa quidem notio in eo versatur, ut Deo licere pro arbitrio beneficia inter homines distribuere demonstretur. At in populari interpretatione possumus ad certas quasdam notas advertere auditorum animos, quibus defendatur et compensetur, quod in hac imagine usque remanet graviter atque inique actum. Monendi sunt auditores, qui postremo loco sint in vineam missi, hos nihil antea de mercede quaerentes abivisse planeque se patrifamilias aequitati dedisse; priores vero tum demum opus fuisse aggressos, quum ipsis de mercede constitisset. Illi ergo egregium fiduciae in domino positae exhibuere specimen, adeoque digni redditi sunt aequitate, qua postea gauderent.

De brevioris illius parabolae Matth. XIII. 12. sensu supra jam expositum est: voces *ὅταν δὲ αὐξήθῃ — αὐτοῦ*, ex parvis initiis admodum magna exoriri docent; populari vero interpreti licet arctiorem etiam cum doctrina Christiana inde eruere comparationem, quae reliquas religionis formas, uti sinapis frutex olera sublimitate superet, omnibusque hominibus, uti arboris latebrae avibus, tutum praebeat, quo se recipiant, refugium.

Ita ergo si in populi usum convertuntur singulae parabolarum partes, primum a consilio, quo sunt dictae, non discedimus; nam adjuvari iis haud dubie voluit Christus populi intelligentiam. Deinde vero etiam non metuendum videtur, ne

deserentes ideam parabolae primariam justo obnoxii videamur ineptae explicationis crimini; defenditur utraque explicatio suo, quo adhibetur, consilio: nam hermeneutices regulis populi commodum non adjuvatur, quippe qui artis regulas parum curans ad moralem Dei cultum promovendus videtur.

SECTIO III.

De usu parabolarum Jesu Christi in puerorum institutione.

§. 64.

Restat ut postremo Amplissimi Ordinis jussui satisfaciamus, praecipientis, ut de parabolis recte in animi puerilis institutionem adhibendis subjungantur observationes praecipuae. Primo enim loco et juventutis esse respiciendum commodum, Christi omnis disciplina postulare videtur. Atque commodum, quod in puerorum institutione ex parabolis percipitur cum in omne fabulae parabolaeque genus quadrat, tum Christi parabolis proprium est.

I. Atque primum quidem haud exiguam ex fabellis peti posse ad instituendum animum puerilem utilitatem, jam exinde perspicitur, quod veteres Rhetores in iis et inveniendis et secundum certas regulas explicandis magno cum fructu exercuerunt discipulorum ingenia [75]. Qui ergo et Christi parabolas

75) Quinctilian. institutt. oratt. I. 9.

ita cum pueris tractare vult, ut eas aut per omnes casus obliquos verti, aut accuratius explicari jubeat, si exinde discipulorum commodo prospicere sibi videtur, equidem non obsto. Etenim non ea esse debemus erga scripturam S. reverentia, ut ejusmodi exercitationibus imminui ejus sanctitatem arbitremur. Quemadmodum enim interpres eadem plane ratione in hos libros inquirit, qua in omnes profanos scriptores; potest et juventutis praeceptor omnem ex iis eruendam utilitatem adhibere. Majorem vero fortasse ex parabolarum tractatione comparabit utilitatem, qui ratione a Lessingio 76) proposita iis exercet puerorum ingenia. Etenim ut ipsi pueri sententiae cuidam propositae aptam inveniant sive fabulam sive parabolam, vix ab eorum ingenio, rebus inveniendis parum idoneo, postulari potest. Si vero ipsis proponitur fabula jam ficta, possunt magno cum fructu in ea vel commutanda vel latius exsequenda institui.

§. 65.

Primum ergo si in ipsa narratione paucae mutantur res, longe alia exinde proficiscitur sententia. In parabola Matth. XXV. 1. de decem virginibus, res ita potest fingi, ut quinque illae prudentes stolidarum precibus commotae cum ipsis communicaverint suam olei copiam. Jam postuletur a pueris, ut exsequantur narrationem: oleum ergo inter omnes aequaliter distributum usque eo fortasse alendis lampadibus inserviisset, quum sponsi adventus proxime instaret: tum vero extinctae fuissent

---

76) Lessing l. l. p. 202 sqq. Herder zerstr. Bl. III. 153. et ejusdem Paramythien, in opp. für schöne Literatur und Kunst. V. p. 14.

omnium lampades, tenebrisque obruta nuptiarum solemnia; unde sententia sequeretur, non esse aliis praestanda beneficia, e quibus nobis majus etiam damnum oriatur, quaeque neque ipsis conducant. Vel ut in eadem parabola subsistamus, res ita potest ab initio verti: exeunt decem virgines; at stolidae et ipsae monitu prudentium secum portant olei sufficientem copiam; at inter eundum tam large infundunt lampadibus oleum, ut ipso illo tempore exhaustum sit, quo sponsus tandem advenit; prudentes vero, quae antea oleo pepercerant, nunc quum opus sit, adfundunt, itaque rite possunt sponsum excipere; unde constat sententia, esse parcendum opibus, ne, quando urgeat necessitas, desit, quod impendatur. Ita dominus Matth. XXV. 14. fingi potest inter servos distributis opibus abiisse: servi duo priores negociandi faciunt initium, tertius in terra defodit talentum; at perperam procedunt illorum negociationes, ut reverso domino non modo non afferre possint usuras, sed ipsum caput etiam perdiderint. Quum ergo rationes conferantur, accedunt illi priores valde de iniquo conatuum eventu querentes; dominus vero quum perspectam habeat eorum fidem, omniaque fortunae adtribuenda iniquitati intellexerit, impune eos amittit, quippe viribus suis probe usos. Accedit tertius laeto vultu domino talentum adferens; qui quum intellexisset, ignavum illum ne periculum quidem lucrandi fecisse, justas ipsum luere jubet poenas, unde jam constaret, nobismet ipsis si de fido virium usu constiterit, non curandum esse iniquum conaminis eventum. Atque haec quidem de parabolarum mutatione.

Possunt vero etiam institui pueri, ut narrationem amplius prosequantur, aliumque ipsi imponant finem. Si v. c. parabola de Samaritano continuatur, vario modo eam conformare licet.

Levita atque sacerdos, qui miserum illum auxilio destituerant, iter pergunt; at latrones paulum in via progressi, et ipsos inveniunt, eademque ratione tractant, qua priorem; Samaritanus vero paulisper, dum opus fervet, moratus insidias effugit. Aut putatur ille reversus esse in eadem via, inque latronum incidisse manus; quibus per aliquod tempus fortiter quidem repugnans haud dubie succubuisset, nisi viator ille, quem servaverat interea sanatus, forte ex deversorio amici periculo perspecto, auxilio ipsi venisset: unde jam constaret narrationis sententia, unumquodque probum facinus justo praemio plerumque haud destitui.

§. 66.

Ceterum si haec exempla inspicimus, sententiam exinde elucentem plane diversam esse a sensu, quem Christus suis subjecit verbis, quis est, quem fugiat? Etenim quae ex nostris similitudinibus proficiscebantur sententiae, rem ethicam et ipsae quidem spectant, adeoque non tantum ingenii acumini acuendo, sed ipsi etiam animo excolendo inservire possunt; idem vero commodum ex quavis alia etiam fabula proficisci constat. Jesu Christi autem parabolae et alio nomine sunt commendandae; possunt enim

II. et tradendo pueris sensui vere christiano inservire. Ex nostra quidem parabolae Luc. X. 30. conformatione apparet unumquodque probum facinus suo praemio haud destitui: quae sententia non tam religionis christianae, quam ethices universalis est judicanda, longe vero praestantior sensus ex Christi parabola progreditur, quippe docentis, quemque, qui ope nostra indigeat, esse nobis τὸν πλήσιον: longe praeclarius ergo cum pueris

agi videtur, si ad ipsum parabolarum, uti adsunt, sensum revocantur. Atque discrimen, quod inter hanc parabolarum expositionem cum pueris communicandam atque popularem illam interpretationem intercedit, arctiori nititur, quo praeceptor cum pueris conjunctus est, institutionis societate. Potest enim in concionibus sacris modo proponere auditoribus doctrinam ex parabolis erutam, ipsis relinquens, quidnam exinde sint utilitatis capturi; in puerorum vero animos peculiari ejus curae traditorum et faciliorem et firmiorem potest institutionis vim exercere. Ita ergo docendi sunt pueri, ut quemadmodum in universum fit in catechetica institutione, ipsi cogantur cujusque parabolae invenire sensum, quem deinde ad vitae conformationem adhibere discant. Instituentur ergo, ut primum in prolata quadam parabola rem enarratam clare perspiciant; cui rei optime prospici videtur, si ab ipsis postulatur, ut narrationem suis ipsorum verbis repetant: quo facto perspicere praeceptori licet, an maxime ad eas res adtenderint, quae ad demonstrandam sententiam faciunt; a quibus ubi aberraverint, eo perducantur praeceptoris quaestionibus, ut ipsi eas inveniant. Deinde narratione perspecta sequitur, ut significatam rem inde eruere discant; qua in re diligenter curandum erit praeceptori, ut ne aliorum etiam judicia, ne ipsius quidem Christi interpretationem sequantur: Quodsi haud raro a vero parabolae sensu aberrant, nil refert: suas adhibere vires, suisque pedibus insistere didicerunt; atque praeceptoris cura facile potest eos interrogando ita adducere, ut ipsi verum inveniant. Revocandi ergo videntur ad singulas res, quae in narratione obviae non quadrant in eorum expositionem, unde jam cogentur ad aptiorem sensum investigandum.

§. 67.

Quando ergo ita adducti parabolae intelligentiam sibi pueri comparaverint, restat, ut rem, quam perspexerunt, et sentiant. Uti enim ratione exposita ingenio perspicitur, ita etiam animus humanioribus excolatur sensibus; id quod optime quadrat in parabolam, quam non solum demonstrationis vi mentem evincere, sed etiam ipsius rei adumbratione animum commovere supra jam expositum est. Videant pueri personas varia ratione agentes: perspiciant earum indolem sentiendique rationem: appareant iis omnia, quae ex diversa agendi ratione aut laeta aut tristia eveniunt. Insinuent se omnino in agentis animum, planeque in se cadere arbitrentur, quae illi eveniunt. Quo vero facilius sensibus exteris commoventur puerorum animi, varia vitae fortuna nondum obdurati, eo majorem in eos vim potest exhibere parabolae tractatio. Adducendi ergo discipuli sunt, ut plane eadem sentiant, quae personae agentes; percipiant luctum, quo pater Luc. XV. 11. ex temerario filii discessu percellitur; miseriae magnitudinem sentiant, qua filius profuso patrimonio premitur; perditi illius tunc ex intimo eos animo miserebit, patrisque lubentissime consentient facilitati, qua excipit filium. Ut perspiciant, quanti facienda sit Samaritani benignitas, animo ipsorum diligentior conditionis, qua inveniebat miserum, obmovenda est imago; quantum periculum subiit, quum in loco tam periculoso diutius maneret! quam facile redire potuissent latrones, unaque cum viatore et ipsum auxiliatorem interficere! Haec si secum reputant animoque obducunt, majoris etiam Samaritani benignitatem aestimare discent.

§. 68.

Sed quid pluribus exemplis indigemus? in universum sensus laetiores ex virtutis, injucundiores ex vitii consideratione percipient: utrisque enim nos instituit natura, aut laeta aut tristi fortuna homines ad meliorem frugem adducens, quam utpote optimam educatricem in omni puerorum institutione sequi debemus. Hac ergo ratione si egregiis illis parabolis puerorum et acuendo ingenio et excolendo animo prospexerimus, optime atque Jesu consilio aptissime adhibuisse videmur praeclaras illas narrationes. Majori etiam pietate amplectentur Jesum juventutis amatorem studiosissimum, seque felices praedicabunt, qui Jesu Christi disciplina instituantur.

CONSPECTUS LIBELLI.

impressit Fridericus Ernestus Huth, typogr. academ.

ag. 6
30
37
40
59
63
75
79